



Plantarum Surinamensium corollarium primum

<https://hdl.handle.net/1874/34116>

h
Feb. 6-17

DA 2731

PLANTARUM SURINAMENSIIUM.

COROLLARIUM PRIMUM.

EDIDIT

ERNESTUS MEYER, M. D.

A. C. N. C. S.



Minda van Nova Acta Leop. XII. 2. (1825)

RIJKSUNIVERSITEIT UTRECHT



1315 3741

BIBL. INST. VOOR SYST. PLANTKUNDE

Transitorium 2, De Uithof

Heidelberglaan 2

3584 CS UTRECHT - Netherlands

Amicus meus, *Hostmannus*, Medicinae Doctor, qui, postquam medicinae studiosorum cursum in hac literarum Universitate Georgia Augusta una mecum rite absolverat, Surinamum profectus, nunc ibi felicissimo successu artem medicam exercet, ex inopinato nuper non modo plantarum Surinamensium infra memoratarum fasciculum ad me misit, sed longe plures etiam ea conditione se missurum esse pollicitus est, ut examinarem istas, specimina unius eiusdemque speciei pluries occurrentia modico pretio venderem, et pro nummis acceptis recentissimos medicorum Germanicorum libros ei remitterem. Ad quod liberale commercium, quum, quanto rei herbariae emolumento futurum sit, intellexissem, me libentissimum praebui.

Plantarum prima vice acceptarum aliae novae sunt, aliae vel minus vel male cognitae, aliae in Surinamo antea nondum observatae. Quibus computatis restant paucissimae, quas praetermittere potuissem. Sed iam quia paucissimae sunt, et hasce memorasse fas erit. Nec plantas cultas excludere ausus sum, tum quia et harum cognitio multum confert ad historiam et geographiam plantarum, tum ne in errores inciderem, quum omnes prorsus inventoris adnotationes de plantarum missarum conditionibus desiderentur.

Plures harum plantarum ante aliquot annos in Herbario suo Martinicensi botanicis obtulit cl. *Sieber*, quas cum meis sedulo comparavi. Alias paullo prius in nitidissima sua Flora Essequeboensi descripsit cl. *G. F. W. Meyer*, regni Hannoverani Physiographus; cui pro singulari benevolentia, qua quas-

quas desiderabam plantas ex herbario suo ditissimo mecum communicavit, maximas ago gratias.

Scripsi Gottingae die 20. Junii 1824.

1. LICHENES.

1. *Ramalina complanata* Achar. lichenogr. univ. pag. 599. tab. 13. fig. 9. — *Lichen complanatus* Swartz fl. ind. occid. III. pag. 1911. — Specimina mea maiora, ramosiora, sterilia sunt. Habitus fere Alectoriae sarmentosae.

2. MUSCI.

2. *Octoblepharum albidum*.
3. *Hypnum patulum* Swartz prodrom. pag. 140. Hedw. spec. musc. frond. pag. 279. tab. 73. — Et in meis speciminibus fructificationem desidero.

3. LYCOPODINEAE.

4. *Lycopodium cernuum* Linn. sp. pl. pag. 1566.
5. *Lycopodium dichotomum* Jacq. hort. vind. III. pag. 26. tab. 45. Swartz fl. ind. occid. III. pag. 1574.

4. FILICES.

6. *Acrostichum simplex* Swartz fl. ind. occid. III. pag. 1587.
7. *Acrostichum aureum* Linn. sp. pl. pag. 1525.
8. *Acrostichum Calomelanos* Linn. sp. pl. pag. 1529.
9. *Polypodium piloselloides* Linn.

Frondibus hirtis, sterilibus ovatis oblongis lanceolatisve integerrimis, fertilibus angustioribus, soris solitariis, rhizomate filiformi setoso-paleaceo.

P. piloselloides Linn. sp. pl. pag. 1542. Willd. sp. pl. V. pag. 144.

Var. β . Frondibus fertilibus linearibus pseudo-repandis.

P. ciliatum Willd. l. c.

Stirps mire polymorpha, sed formis per tot gradus sensim confluentibus, ut nullam earum a reliquis disiungere liceat. Rhizoma longissimum, flexuosum, hinc inde ramosum, filiforme, setoso-paleaceum. Frondes plurimae steriles, primae cuiuslibet rhizomatis ovato-suborbiculatae, sequentes sensim legitime ovatae, obtusae vel acutiusculae, tunc aliae oblongo-ovatae, oblongae et vere lanceolatae, modo obtusae, modo acutae, modo acuminatae acumine obtusato, ad basin plerumque rotundatae, rarius in lanceolatis acutae; omnes plerumque sensim longiores, ita ut primariae saepe vix semipollicares, ultimae sesquipollicares et longiores reperiantur. Frondes fertiles sterilibus hinc inde mixtae, praesertim versus apicem rhizomatis, semper proximis sterilibus angustiores: in forma legitima Willdenowiana (quam non ex Surinamo quidem sed aliunde habemus) lanceolatae, sterilibus proximis ovatis; in var. β . (Surinamensi nostra, quam Willdenowius descripsit ex Brasilia) lineares, sterilibus proximis lanceolatis. Margo frondis semper paullum revolutus, praesertim in fertilibus, unde in var. β ., ubi sori densiores esse solent, fit pseudo-repandus. Hirsuties frondis in utraque varietate modo rarior modo frequentior est, versus marginem plerumque paullo densior, quo fit, ut frons eo magis ciliata appareat, quo magis margo revolvatur. Pili veri (teretes) nulli, sed ut in pluribus filicibus paleae angustissimae, appressae, ad basin subcallosae, cinctaeque membrana tenuissima albicante peltata varie lacera.

Observatio. Differt nostrum a plurimis Polyposidiis sectionis primae Willdenowianae soris solitariis; a *P. heterophyllo*

L. frondibus sterilibus integerrimis, à P. serpente Swartz et vacciniaefolio Langsd. et Fisch. frondibus maioribus hirtis; quamvis enim in nostro etiam frondes nudiusculae occurrant, minores tamen et rotundiores prae reliquis hirtae esse solent. A P. macrophylo Bory. non nisi partium mensuris differre videtur. Quorum plurima valde et forsan nimis affinia sunt.

10. *Polypodium lycopodioides* Linn. sp. pl. pag. 1542.

11. *Polypodium percussum* Cavan.

Frondibus coriaceis lanceolatis integerrimis utrinque acuminatis, supra rugulosis subtus squamoso-punctatis, soris solitariis, rhizomate filiformi paleaceo.

P. percussum Cavan. praelect. 1801. Nr. 594. Willd. sp. pl. V. pag. 151.

P. marginale Bory apud Willd. sp. pl. V. pag. 149.

Differt a praecedente praesertim substantia frondis coriacea, quae in illo membranacea; praeterea rhizomate minus dense paleaceo, paleisque minus patentibus, unde ipsum rhizoma videtur multo tenuius; dein frondibus maioribus, utrinque praecipue autem apice multo longius acuminatis; supra, ex venis magis prominentibus, rugulosis (dum in *P. lycopodioidi* sunt laeves); subtus squamulosis nec glabris. Foveae vero, a soris ortae, in superiore frondis pagina, unde nomen, prorsus eadem et in *P. lycopodioidi* aliisque observantur.

Observatio. *Polypodium marginale* ex ipsius Willdenowii descriptione non modo non alia species, sed ne levissima quidem nostrae stirpis varietas esse videtur. An etiam *P. macrocarpum* huc pertineat, alii diiudicent.

12. *Polypodium Phyllitidis* Linn. sp. pl. pag. 1543.

13. *Polypodium Leucatomos* Lam.

Frondebis pinnatifidis glabris, laciniis alternis supra niveo-punctatis dentato-serratis, infimis brevioribus obtusis, superioribus acuminatis, extima maxima, soris sparsis.

P. Leucatomos Lam. encycl. V. pag. 516. (excl. synonym. Forst.)

Unica frons, quam coram habeo, inde a basi laciniarum bipedalis est, glaberrima. Petiolus nitidus, badius, semiteres, facie profunde trisulcus. Lacinae alternae utrinque tres cum impari, duos pollices latae, cartilagineae, saturate virides, venis subirregulariter arcuato-reticulatis purpurascensibus percur-sae, supra praesertim ad venarum anastomoses niveo-punctatae, margine dentato-serratae; infima subsoluta, lineari-oblonga, obtusa, semipedalis; reliquae sensim longiores, extima ultrapedalis, magis magisque confluentes, acutiores et demum acuminatae. Sori sparsi, quatuor vel sex secus venas primarias, superne densiores.

Observatio. Polypodium phymatodes huic proximum, uti iam monuit cl. Lamarck, certe tamen specie differt: praecipue frondis laciniis oppositis integerrimis, venisque plurimis non anastomosantibus, sed per varias curvationes et divisiones in puncta excurrentibus. In *P. aureo*, ceterum dissimiliori, venarum rete similius est, diversum tamen praecipue areolis costae proximis, quae in *P. aureo* valde insignes sunt, in *P. Leucotomo* a reliquis vix recedunt.

14. *Polypodium aureum* Linn. sp. pl. pag. 1546.

15. *Polypodium tetragonum* Swartz fl. ind. occid. III. pag. 1670.

16. *Aspidium acuminatum* Willd. sp. pl. V. pag. 221. — De patria huius stirpis adhuc dubitabat cl. Willdenow.

17. *Pteris aculeata* Swartz fl. ind. occid. III. pag. 1601.

18. *Vittaria lineata* Swartz in Nov. script. nat. curios. Berol. II. pag. 132.

19. *Lindsaea Guianensis* Dryand.

Fronde simpliciter pinnata lineari-lanceolata vel irregulariter bipinnata, pinnulis lunato - trapezoideis obtusis, infimis summisque flabellatis.

L. Guianensis Dryand. in Act. soc. Linn. III. pag. 42. Willd. sp. pl. V. pag. 424.

Adiantum Guianense Aubl. guian. II. pag. 963. tab. 365.

Rhizoma repens, ramosum, crassitie pennae columbinae, paleis fusco-rubentibus nitidulis subulatis crispatis tectum. Radices crebrae, filiformes, ramosae, flexuosae, obsitae radiculis subsimplicibus horizontaliter patentibus. Frondium petioli communes absque stipite statim e rhizomate ascendentes, strictae, spithamaeae vel fere bipedales, semiteretes, angulis acutis, pallide virides aut, praesertim basin versus, purpurascens, nitidae, paleis quibusdam ad basin sparsis. Iuniorum rhizomatum frondes saepius simpliciter pinnatae, provectorum ternato-pinnatae vel bipinnatae, pinnis utrinque saepe binis ternisve (in icone Aubletiana senis), quibus accedere solet praeter extimam altera impar, modo supra modo infra reliquas suboppositas; omnibus circumferentia lineari-lanceolatis, utrinque praesertim apice attenuatis. Pinnulae eadem conditione suboppositae vel etiam alternae, dimidiatae, basi cuneatae, antice truncatae, falcato-trapezoideae, apice rotundato-obtusae, longitudine semipollicari, latitudine tri-quadrilineari, infimae et superiores minores, magis flabellatae; steriles in margine superiore et averso denticulatae; fertiles, quousque extenditur sorus, integerrimae, venis a basi radiatim divergentibus, semel bisve dichotomis, sub soro per nervum transversum anastomosantibus. Sorus continuus, semilineam circiter distans a margine superiore, et dum magis elongatur averso; capsulis pallide fuscescentibus.

Observatio I. *Lindsaea trapeziformis* Dryand. l. c. pag. 42. tab. 9. mera huius varietas esse videtur, paullo robustior pinnulisque paullo maioribus. Alia discrimina nec icones nec descriptiones praebent; et in *L. Guianensis* speciminibus fere triginta, quae ante oculos habeo, pinnularum magnitudinem non semper eandem esse observo.

Observatio II. *Lindsaea nitidissima* Willd., fatente ipso clo. auctore, non nisi fronde bipinnata differt a *L. falcata* Dryand.; quae nota quum in specie proxime affini, ut modo ostendimus, nil valeat, in hac etiam nihili aestimanda videtur.

20. *Adiantum deltoideum* Swartz fl. ind. occid. III. p. 1705.

Observatio. Et in hac specie, ut in *Lindsaea Guianensi*, frondes simpliciter pinnatae quasi legitimae, bipinnatae quasi fortuitae esse videntur. In universum plurimae filices, quae frondibus modo magis modo minus divisus variant, duas diversissimas leges sequuntur. In aliis, ut in *Polypodiiis* et *Aspidiis*, totius frondis circumferentia vix unquam mutata, variat ultimarum laciniarum forma, quae magis minusve inter se confluere solent. In aliis, ut in *Adiantis* et *Lindsaeis*, servata ultimarum divisionum sive pinnularum forma, totius frondis ambitus saepe immutatur, pluribus frondibus tanquam accessoriis in eodem petiolo aggregatis. Quae vero frondis forma certis circumferentiae limitibus non definitur, ea vix ac ne vix quidem pro normali haberi potest.

21. *Lygodium volubile* Swartz synops. filic. pag. 152. —

Hydroglossum volubile Willd. sp. pl. V. pag. 78.

5. GRAMINEAE.

22. *Panicum distichum* Lam.

Spicis inferioribus alternis remotis, superioribus semiverticillatis setosis, spiculis subsolitariis secundis glabris, gluma

infima minima remota, foliorum vaginis angustis compressis ciliatis.

P. distichum Lam. encycl. IV. pag. 741. Roem. et Schult. syst. veget. II. pag. 480 (sub *Echinochloa setigera*).

P. pennisetum? Roth. apud Roem. et Schult. l. c. pag. 494 (sub *Setaria*).

Var. β. Luxurians.

Foliis glabriusculis, spicis subnudis, inferiorum spiculis racemoso-aggregatis.

Caulis in meis speciminibus formae primariae sesquipedalis (at longior fuisse videtur), strictus, tereti-compressus, sulcatus, glaber, nodis nigricantibus, interdum ramosus, ramis debilibus. Folia subdisticha, patentia, semipedalia et longiora, lineari-lanceolata, acuminata, basi subtruncata, medio quatuor vel quinque lineas lata, marginibus retrorsum hispida, dorso glabra, facie pilis raris longis rigidiusculis adspersa. Vagina subpalmaris, cauli appressa, dorso carinata, marginibus ciliata, ceterum glabra. Ligula subnulla. Spicae in rachi communi tereti glabra octo-decem-pollicari suberectae, dein patentēs, demum divaricatae, secundae; inferiores remotae, alternae, solitariae, pollicares et longiores; superiores saepe semiverticillatae; rachi partiali semitereti, ad angulos hispida, setis longis raris albis patentibus adspersa. Spiculae in pedicellis nudis brevibus subsolitariae, rarius geminae pluresve, glabrae, magnitudine seminis *Sinapis albae*. Involucrum spicularum (calyx) bivalve, gluma inferiore minuta acuta, remotiore ab altera superiore ovata obtusiuscula carinata. Flos inferior neuter uniglumis; superior hermaphroditus biglumis, gluma interiore angustiore. Genitalia non vidi. Semen inclusum.

Varietas *β.*, forte soli fertilioris et humidioris progenies,

differt tantummodo foliis glabriusculis, spicarum praesertim inferiorum setis rarissimis, interdum nullis, harumque spiculis praesertim inferioribus non solitariis, sed numerosis, in spicam racemosam laxiorem iterum collectis. Praeterea nulla utriusque formae discrimina, et ipsae spicae superiores in utraque sibi simillimae.

Observatio. Et hoc exemplo egregie demonstratur, setas illas, Panicearum floribus intermixtas, nil aliud esse, nisi peduncululos abortivos.

23. *Panicum commelinaefolium* Rudg.

Panicula capillari erecta, spiculis solitariis longe pedunculatis, foliis ovato-lanceolatis acuminatis pubescentibus, ad oram barbatis, vaginis appressis sulcatis ciliatis.

P. commelinaefolium Rudg. guian. pag. 21. tab. 28.

In meo specimine caulis tripedalis et quod excedit, basi ramosus, teres, laevissimus, nodis nigricantibus, internodiis vagina saepe duplo longioribus. Folia patentia, ovato-lanceolata, acuminata, tres quatuorve pollices longa, novem lineas lata, margine retrorsum hispidula, subundecimnervia, utrinque pubescentia, pilis ad basin densioribus longioribus, praesertim supra ligulam collectis in barbam per vaginae ciliis decurrentem. Vagina teres, arcta, sesquipollicaris, striato-sulcata, glabra, ad margines ciliata. Ligula brevissima, truncata. Panicula ramosissima, ramis principalibus iam fere capillaribus erectis; pedunculis et pedicellis patentibus flexuosis. Spiculae solitariae, obovatae, obtusae, glabrae, Sinapis nigrae semine minores. Glumae omnes naviculares, nec carinatae, rotundatae, excepta infima involucri universalis, quae est acuta, sed tam parva, ut nudo oculo vix appareat.

Observatio. Rudgei nec icon optima nec descriptio, quamvis in utraque et habitus et signa quaedam notatu digniora

satis expressa sint. Internodiorum longitudo haud dubie valde variabilis est. In specimine Rudgeano illa vaginis striato-sulcatis breviora erant, quo deceptus cl. auctor ipsum caulem striatum dixit. Folia acuminata appellavit cuneata, et, quod peius, in icone sua foliorum basin latissimam expressit, quum in natura summa eorum latitudo supra basin inveniatur.

24. *Panicum avenaceum* Humb. Bonpl. et Kunth. nov. gen. et spec. I. pag. 99.

Observatio. Non omnino cli Kunthii descriptio gramen nostrum exprimit. Primo enim caulis Humboldtianae plantae dicitur teres, nulla ramorum mentione facta: nostrae plantae caulis basi valde ramosus est, ramis appressis subdistichis, unde totus caulis fit compressiusculus. Habemus autem alia eiusdem stirpis specimina sat magna (fere tripedalia) et simplicia, caule teretiusculo, unde conicio, alteram harum notarum ab altera pendere. — Tum in planta Humboldtiana ligulae margo pilosus dicitur; in nostra glaber est, sed in ipsa folii pagina superiore pone ligulam stat series pilorum longiorum rigidiorum, medio erectorum, ad latera sensim horizontaliter patentium, quam barbam facile ligulae adnatam existimare posses. — Spiculae denique in planta Humboldtiana dicuntur geminae, altera sessilis; in nostra omnes pedicellatae sunt, pedicellis plurimis vix lineam longis, quibus intermixti sunt pedunculi longiores, iterum bi-tri-flori, unde tota panícula paullo ramosior fit. Accedit, quod in nostrae plantae panícula non omnes rami verticillati sunt, sed solitarii plures verticillatis alternae. Quae vero differentia, quum reliqua cuncta adamussim congruant, et quoniam plures Paniceae simili modo variare solent, a soli natalis conditionibus pendere vero simile est.

25. *Anatherum bicornae* Pal. de Beauv. agrost. pag. 128.

tab. 22. fig. 11. Roem. et Schult. syst. veget. II. pag. 809. — *Andropogon bicorne* Linn. sp. pl. pag. 1482.

26. *Cymbopogon Schoenanthus* Spreng. pugill. II. nr. 27. Roem. et Schult. syst. veget. II. pag. 833. — *C. citriodorus* Link. enum. berol. nr. 984. — *Andropogon Schoenanthus* Linn. sp. pl. pag. 1481. — *A. citratus?* De Cand. catal. monsp. 1813. pag. 78. Mater. med. edit. germ. pag. 367.

Observatio I. Sunt mihi non nisi foliorum fasciculi; suspicarer igitur, hoc gramen in Surinamo, ubi coli videtur, aequae ac in nostris hortis non ferre flores.

Observatio II. De Candolle in mater. med. l. c. distinguit *Andropogonem citratum* (quem florentem non vidit), foliis citriodori, ab *Andropogone Schoenantho*, caule citriodoro, quod vix probabile. Cl. Link vero cur nomen Linnaeo veteribusque usitatissimum mutaverit, nescio.

6. CYPERACEAE.

27. *Cyperus Haspan.* L.

Triqueter, aphyllus, anthela decomposita laxa involucrum subaequante, spiculis digitato-capitatis subseptenis, glumis retuso-mucronatis, germine glabro, stylo bifido basi attenuato.

C. Haspan Linn. sp. pl. pag. 66. Vahl. enum. II. pag. 320.

C. aphyllus Vahl. eclog. II. pag. 6.

Rhizoma repens crassitie pennae columbinae. Radices crebrae, subsimplices, pulcre rubentes et ad modum *Usnearum* articulatae, i. e. cortice transversim fragili, fasciculo vasculorum centrali tenaciori. Scapus in meis speciminibus bi-quadripedalis, aphyllus, basi vaginatus, triqueter, inferne vero subanceps, mollis, striatus, ad angulos laevissimus. Vaginae tres quatuorve, interiores sensim longiores, vix sextam scapi par-

tem vestientes, distichae, compressae, carinatae, apice planae acutae, basin versus violaceo-rubentes. Anthela decomposita, ramosissima, laxa, ramis ramulisque triquetris, minime hispidis, varie flexis et reflexis. Spatha suberecta, anthelam subaequans, plana, linearis, duo scapi latera amplectens. Bractea involucris universalis proxima spathae subopposita, triplo brevior, sed vix angustior, reliquae multo minores. Rachis communis vix quatuor lineas longa, spicularum capitulo terminata, emittens ramos viginti pluresve, inferiores sensim longiores, infimum bi-tripollicarem, omnes fere apice iterum anthelophoros. Spiculae digitato-capitatae, divaricatae, rarius ternae, plerumque septenae; intermedia maxima subsemipollicaris, laterales utrinque ternae, quarum intermediae maiores, omnes lineares, fructiferae demum lanceolato-lineares, acutae, subvigintiflorae. Spicularum rachis denticulata. Glumae oblongae, trinerviae, dorso carinatae, inter nervos subcanaliculatae, apice inferiores retusae, supremae obtusae, omnes mucronulatae, virides, marginibus inferne subrubentibus, superne albido-pellucidis, omnes fertiles, arcte imbricatae, post anthesin patentes, demum deciduae, genitalibus denudatis. Nec squamae laterales, nec setae hypogynae ullae. Stamina tria, gluma breviora. Filamenta antheris fere duplo longiora. Germen obovato-subglobosum, longitudine filamentorum, glaberrimum, albidum et hyalinum. Stylus glaber, filiformis, bifidus, basi adeo attenuatus, ut vix sub lente appareat, deciduus. Nux obovato-trigona.

Observatio I. Huic proxime affines sunt: *C. nudus* Humb. Bonpl. et Kunth. et *C. autumnalis* Vahl. Quorum prior, quantum ex descriptione Kunthiana apparet, non nisi spiculis paucifloris styloque trifido differt. De posteriore autem, quem vidisse mihi contigit, paullo fusius agere liceat.

Cyperus autumnalis Vahl.

Triqueter, foliosus, anthela composita laxa involucrum subaequante, spiculis digitato-capitatis subternis, glumis obtusis muticis, germine glabro, stylo trifido basi attenuato.

C. autumnalis Vahl. enum. II. pag. 318. (excl. synonym. Willd. et Clayt.)

C. Haspan? Willd. sp. pl. I. pag. 278. (excl. syn.) fide specimenis Willdenowiani.

Differt insuper a *C. Haspan* Linn. totius plantae tenuitate, flosculis minus numerosis, glumis brevioribus. Folia glaberrima sunt.

Observatio II. *Cyperus amentaceus* Rudg., quem inter *C. autumnalem* et *C. Haspan* posuerunt cl. cl. Roem. et Schultes, aut *Papyri* aut *Marisci* species esse videtur. Culmus ei est foliosus, folia scabra, stylus trifidus, basi incrassatus.

28. *Papyrus comosa* Humb. Bonpl. et Kunth. nov. gen. et sp. I. pag. 218. — *Cyperus affinis* Roem. et Schult. syst. veg. II. pag. 213.

7. RESTIACEAE.

29. *Xyris macrocephala?* Vahl. enum. II. pag. 204. — *X. anceps* β ? Lam.

Folia in meis specimenibus longitudine et latitudine valde inaequalia; alia vix semipedalia, duas lineas lata, alia sesquipedalia, quinque lineas lata. Scapi foliis duplo fere longiores, uti eos descripsit cl. Vahl. Capitula fructifera vero nucem Avellana haud maiora, quae a Vahlis duplo maiora dicuntur. Bracteae suborbiculatae, dorso linea longitudinali exaratae. Flores non vidi. Capsula pyramidata, perfecte unilocularis.

Observatio. Pro *X. Indica* haberem, ni scapus anceps esset, interdum quidem basi tortus, saepius autem rectus, et ni plantam Americanam ab Indica differre suspicarer.

8. COMMELINEAE.

30. *Commelina Cajennensis* Rich. in Mem. soc. paris. pag. 106. Vahl. enum. II. pag. 169.

9. ORCHIDEAE.

31. *Epidendrum ramosum* Jacq. amer. pag. 221, tab. 132.
 32. *Epidendrum rigidum* Jacq. amer. pag. 222. tab. 134.
 33. *Dendrobium utricularioides* Swartz prodr. pag. 122.

10. AROIDEAE.

34. *Caladium esculentum* Vent. hort. cels. pag. 30. Willd. sp. pl. IV. pag. 489.

11. PIPERACEAE.

35. *Piper aduncum* Linn. sp. pl. pag. 41.
 36. *Piper auritum* Humb. Bonpl. et Kunth. nov. gen. et spec. I. pag. 54. Sieber! herb. martinic. nr. 7. in Oken isis. 1822. II. anz. pag. 452.

Var. β . Foliis dimidiato-cordatis.

Recedit mea planta quodammodo a laudata cli. Kunthii descriptione: foliis non tam ovatis, quam rhomboideo-ellipticis, supra glabriusculis, ad basin non profunde inaequaliter cordatis, sed dimidiato-cordatis, i. e. altero latere cordatis, altero rotundatis cuneatisve. Minime vero specie differt a planta Martinicensi supra laudata, quae foliis paullo minoribus, magis pubescentibus, revera utroque latere, sed inaequaliter cordatis, transire videtur ad eam eiusdem speciei formam, quam descripsit cl. Kunth, quamvis etiam in planta Sieberiana folia magis rhomboideo-elliptica quam ovata dici oporteat.

12. URTICEAE.

37. *Urtica latifolia* Rich.

Annua, foliis alternis ovatis acuminatis grosse serrato-dentatis, racemis compositis axillaribus et terminalibus, floribus glomeratis monoicis.

U. latifolia Rich. in Mem. soc. paris. pag. 113. Sieber! herb. martinic. nr. 212. in Oken isis 1822. anzeig. pag. 434.

U. caravellana Schranck in Regensb. denkschr. III. pag. 28. Hort. Mon. tab. 82.

Radix annua, fibrosa. Caulis spithamaeus vel pedalis, erectus, parum ramosus, ut tota planta pilis raris patentibus adpersus. Folia alterna, late ovata, acuminata, rarius acuta, grosse serrato-dentata, magnitudine perquam varia, in meis speciminibus alia pollicem longa et decem lineas lata, alia fere semipedalia et quatuor vel quinque pollices lata. Petiolus circiter dimidiae laminae longitudine, in foliis minoribus ratione habita longior, in maioribus brevior. Racemi varie compositi, terminales et axillares, erecti, foliorum circiter longitudine, ebracteati. Flores glomerati, pedunculis subdivaricatis; inferiores foeminei, superiores masculi. Nux perianthio subtriplo longior, ovata, apice incurva, sordide albicans.

13. EUPHORBIACEAE.

38. *Iatropa multifida* Linn. sp. pl. pag. 1429. Swartz observ. pag. 368.

Folia nimis varia. In aliis speciminibus apprime eiusdem formae et magnitudinis, quam in icone Breyniana (exot. centur. tab. 53.), plurima septemloba, lobis linearibus pinnatifidis; in aliis triplo maiora, undecimloba, lobis lanceolatis, basi cuneatis, apice acuminatis, exterioribus angustioribus

subfalcatis integris, mediis in utroque margine semel bisve inciso-sinuatis, lobulis acutis. Rectius igitur haec species distinguitur, non numero formaque loborum, sed colore foliorum subtus albido, stipulisque setaceis multifidis.

39. *Ionipha Manihot* Humb. Bonpl. et Kunth. nov. gen. et sp. II. pag. 108. — *Iatropa Manihot* Linn. sp. pl. pag. 1429.

14. CHENOPODIACEAE.

40. *Chenopodium ambrosioides* Linn. sp. pl. pag. 320.

15. AMARANTHACEAE.

41. *Gomphrena globosa* Linn. sp. pl. pag. 326. — Teste ill. ab Humboldt in nov. gen. et sp. II. pag. 201. non spontanea sed culta in America.

16. ACANTHACEAE.

42. *Iusticia coccinea* Aubl. guian. I. pag. 10. tab. 3.

17. VERBENACEAE.

43. *Lantana Camara* Linn. sp. pl. pag. 874.

44. *Avicennia tomentosa* Jacq. amer. pag. 178. tab. 112.

18. SCROPHULARIEAE.

45. *Matourea pratensis* Aubl. guian. II. pag. 642. tab. 259. — *Vandellia pratensis* Vahl. eclog. II. pag. 48.

Character generis. Calyx quadripartitus, subaequalis. Corolla ringens, labio superiore retuso, inferiore trifido. Stamina didynama, antheris per paria conniventibus. Stigma unilamellatum; inflexum. Capsula bilocularis, bivalvis, valvulis post dehiscentiam bifidis, marginibus inflexis versus placentam columnarem demum liberam.

Speciei adumbratio. Caulis herbaceus, erectus, ramosus, tetragonus. Folia opposita, petiolata, elliptica, apicem versus crenato-serrata. Pedunculi axillares, breves, bibracteati (nisi cum clo. Vahl ipsum folium subiectum pro bractea tertia sumere mavis). Corolla parva, caerulea. Germen pubescens. Praeterea cf. Vahl l. c.

Observatio I. Proxime accedit hoc genus ad *Linderniam* Linn. et ni fallor ad *Morganiam* R. Brown. A *Vandellia* Linn., quacum non sine dubitatione coniunxerat cl. Schreber in gen. plantar. II. pag. 419., abunde differt crescendi modo, calycis, corollae, stigmatis et forsitan etiam capsulae structura. — Sed quid est *Vandellia racemosa* Spreng. *neue entdeck.* I. pag. 262? Ex descriptione enim neque Matoureae neque Vandelliae genuina species esse videtur.

Observatio II. Antherae tam longiorum quam breviorum staminum utrum cohaereant, an solummodo approximatae sint, dubius haereo; certe autem biloculares sunt, thecis minutis, apice contiguis, basin versus sub recto angulo distantibus. Quid igitur sibi voluerit cl. Rohr apud Vahlum l. c. cum corpusculis illis accessoriis pellucidis, antheras mentientibus, in apice filamentorum, quibus antherae *uniloculares* appensae sint, nescio; nec ipsa auctoris verba satis intelligo. An deceptus est anthera quadam, cuius theca situ superior pollinem suum amiserit, altera theca adhuc integra? Vix crederem de observatore tam perspicaci.

46. *Scoparia dulcis* Linn. sp. pl. pag. 168.

19. SOLANEAЕ.

47. *Solanum ferrugineum* Jacq. hort. schoenbr. III. pag. 46. tab. 334.

20. BORAGINEAE.

Tribus I. Heliotropicae.

48. *Tiaridium Indicum* Lehm. asperif. pag. 14. — *Heliotropium Indicum* Linn. sp. pl. pag. 187.

Tribus III. Sebesteneae.

49. *Cordia Guianensis* Roem. et Schult.

Foliis oblongo-lanceolatis supra scabris, subtus pubescentibus, spica rariflora, calycis urceolati dentibus acutis muticis.

C. Guianensis Roem. et Schult. syst. veg. IV. pag. 460.

Varronia Guianensis Desv. in Journ. bot. I. pag. 270.

V. Martinicensis Aubl. guian. I. pag. 232.

Rami asperi, fusco-rubentes, pilis raris brevibus ascendentibus albis obsiti. Folia alterna, petiolata, palmaria, oblongo-lanceolata, argute serrata, in foliis maioribus hinc inde duplicato-serrata, basi subintegerrima, supra viridia, glabra, tuberculoso-scabra, subtus parum canescentia, reticulato-venosa, venis rubro-violaceis pubescentibus, tactu vix ac ne vix scabriusculis. Petiolus semiteres, canaliculatus, pubescenti-scabriusculus, semipollicaris. Spica terminalis, ante anthesin foliorum longitudine, fructifera duplo longior. Rachis crassitie fili emporetici, sulcata, aspera, ad medium usque nuda, tunc floribus subsessilibus subsecundis, basi raris, apicem versus sensim densioribus obsita. Calyx floris urceolatus, hispidus, subdecemnervius, quinquedentatus, dentibus acutis muticis. Corolla calyce duplo longior. Nux ovoidea, atro-purpurea, nitida, obtusa, abortu unilocularis monosperma, maximam ad partem tecta calyce nunc ovoideo appresso, fauce coarctato.

Observatio. *Cordia Martinicensis* vera differt ab hac: foliis latioribus brevioribus, supra magis scabris, subtus sub-

concoloribus, hispidulis, quamvis pili, sub lente examinati, eandem speciem prae se ferant ac ii in *C. Guianensi*; spica brevior, rachi sub floribus magis incrassata, *non sulcata*; floribus dense stipatis, nec secundis; calycibus floris inflatis glabriusculis, dentibus in mucronem attenuatis. Fructum maturum huius speciei non vidi; ex Gaertneri filii analysi (tab. 212. fig. 3.) paullo maior est quam in *C. Guianensi*, ceterum non differre videtur.

21. HYDROLEACEAE.

50. *Hydrolea spinosa* Linn. sp. pl. pag. 328.

22. SESAMEAE.

51. *Sesamum Indicum* Linn. sp. pl. pag. 884.

23. BIGNONIEAE.

52. *Bignonia Unguis* Linn. sp. pl. pag. 869.

53. *Bignonia Hostmanni* mihi.

Scandens, ramis tetragonis glabris, foliis coniugatis cirrhosis, foliolis ovato-oblongis oblique cordatis acutis glaberrimis, panicula terminali.

B. variabilis Sieb. herb. martinic.! suppl. nr. 77. (non Jacquini).

Frutex scandens. Rami tetragoni, cortice albo-cinerascente nitidulo. Ramuli divaricati, glabri, purpurascens, superne cum petiolis pedunculisque ad lentem tenuissime lepidoti. Folia coniugata, cirrho terminata. Foliola ovato-oblonga, basi oblique cordata, vel iuniora altero latere cordata, altero rotundata, apice acuta, integerrima, glaberrima, supra nitida, venoso-reticulata, membranacea, maiora semipedalia, duos pollices lata. Petiolus communis semiteres,

subpollicaris; partiales canaliculati, paullo breviores. Cirrhus longus, simplex, crassitie fili emporetici. Flores in ramorum ramulorumque apice paniculati. Rachis stricta; pedunculi subdichotomi, pedicelli novem lineas longi. Bracteae minutae, deciduae. Calyx parvus, campanulatus, subtruncatus, denticulis quinque obsoletis. Corolla sesquipollicaris et ultra, glabra, limbo quinquelobo, lobis rotundatis. Filamentorum longiorum arcus dimidio tubo brevior. Antherae glabrae. Stylus staminum longitudine, dein elongatus. Stigma bilobum, lobis acutis. Fructum non vidi.

Observatio. Proxima videtur *Bignoniae* spectabili Vahl. et forsan *B. chrysoleucae* Humb. Bonpl. et Kunth.

54. *Bignonia aquatilis* mihi.

Arborescens? foliis quinatis, foliolis longe petiolatis oblongis acuminatis basi rotundatis glabris, floribus corymbosis terminalibus et alaribus, calyce bilabiato, corolla glaberrima.

B. fluviatilis? Aubl. guian. II. pag. 655. tab. 867. (folia, non flores iconis et descriptionis.)

Caulis haud dubie arborescens, parum infra apicem adhuc digiti crassitie, ligno albo, fraxineum textura simulante, medulla multa densa alba; cortice albo-cinerascente sublaevigata, hinc inde verrucis xylomatoideis adperso. Rami in apice caulis dichotomi; iuniores nudo oculo videntur puberuli, armato potius albido-lepidoti. Folia opposita, quinata, glabra. Foliola oblonga, subinde obovato-oblonga, acuminata, basi rotundata, integerrima, coriacea, ad lentem fortiolem subtus tenuissime glanduloso-lepidota, intermedium subsemipedale, duos pollices latum, exteriores subduplo breviores, una tertia parte angustiores. Petiolus communis subsemipedalis, striatus, semiteres; partiales teretiusculi, canali-

culati, intermedius subsesquipollicaris, laterales quatuor lineas longi. Flores terminales, tum in ipso caule intra ramorum dichotomiam (alares), tum in horum apicibus fasciculato-corymbosi. Pedunculi oppositi, conferti, semipollicares. Bracteae lineares, obtusae; solitariae ad basin pedunculorum, iisque parum breviores, binae minores in ipso pedunculo. Calyx, ut etiam bracteae, lepidoto-exasperatus, complanatus, oblique affixus, bilabiatus, labiis rotundatis obtusissimis brevissime apiculatis, altero parum longiore. Corolla sesquipollicaris, glaberrima, limbo quinquelobo, lobis rotundatis. Staminum par longius tubo parum brevius. Antherae glabrae. Stigma bilobum, lobis obtusis. Fructum non vidi.

Observatio. *Bignonia fluviatilis* Aubl. est planta valde dubia et, ni egregie fallor, aequae ac aliae eiusdem auctoris species, ex duabus diversissimis speciebus composita. Usque ad flores tam icon quam descriptio Aubletiana nostram *B. aquatilem* exactissime exprimunt. Flores autem ad eam, longe diversam speciem, pertinere videntur, quam, nomine Aubletiano dubitanter adscripto, descripsit cl. G. F. W. Meyer in fl. essequeb. pag. 212. et mecum benevole communicavit. Eodem anno (1818.) tertiam insuper speciem, a memoratis satis diversam, pro *B. fluviatili* Aubl. descripsit cl. Kunth in nov. gen. et sp. III. pag. 130; sed caute synonymiae adiecit verba: »auctoritate Willdenowii.« Sed et haec species notis haud levibus ab icone et descriptione Aubletii discrepare videtur. Willdenowius autem plantam Aubletianam non vidit. Accedit, quod planta Humboldtiana, a Kunthio descripta, in regionibus Orinoccensibus lecta est, ergo longe remotius a patria plantae Aubletianae, quam et Essequeboensis illa G. F. W. Meyeri et mea Surinamensis. Ratum igitur visum est, ne species tres distinctissimae in posterum confundantur, relicto

prorsus nomine Aubletiano, novis et nominibus et definitionibus eas distinguere, ut sequitur:

* *Bignonia barbata* mihi.

Arborescens, foliis quinatis, foliolis longe petiolatis ovato-oblongis acuminatis basi rotundatis glabris, corymbis subdichotomis, corollis pubescentibus, intus ad faucem barbatis.

B. fluviatilis Humb. Bonpl. et Kunth. nov. gen. et sp. III. pag. 139. (excl. synonym. Aubl.)

** *Bignonia digitata* mihi.

Arborescens, foliis subquinatis, foliolis oblongis acuminatis in petiolum brevissimum attenuatis glabris, floribus corymbosis, corolla glaberrima.

B. fluviatilis Aubl.? guian. l. c. (quoad flores, non folia.) Meyer! esseq. pag. 212.

De hac specie adiciere sufficere: foliola subtus, ad lentem fortiolem visa, multo minus esse glanduloso-punctata, quam ullius fere alius speciei, a me observatae, minime vero lepidota esse, ut sunt plurimae *Bignoniae* species; calycem aequae ac in *B. barbata* mea reperiri irregulariter et quinquefidum et trifidum, non vero, ut in *B. aquatili* mea, bilobum; flores denique paullo maiores esse, quam in *B. aquatili*.

24. APOCYNÆÆ.

55. *Echites trifida* Jacq. amer. pag. 31. tab. 24. Humb. Bonpl. et Kunth. nov. gen. et spec. III. pag. 216.

Observatio. Mea planta haud dubie eadem est ac Humboldtiana, quam cl. Kunth a Jacquiniana non diversam esse statuit.

56. *Echites puncticulosa*? Rich.

Erecta (?), foliis ovalibus obtuse acuminatis reticulatis eglandulosis, corymbo terminali dichotomo, corolla infundi-

buliformi, staminibus inclusis, annulo hypogyno obsolete decemdentato.

E. puncticulosa? Rich. in Mem. soc. paris. pag. 107.

Unicum, quod mihi suppetit, specimen, est summitas caulis ramusve pedalis, strictus, lignosus, crassitie pennae anserinae minoris, subtetragonus, cortice fuscescente ruguloso, verrucis densis minutis xylomatoideis exasperato. Folia opposita, petiolata, ovalia, brevissime acuminata, acumine obtuso, basi rotundata, integerrima, membranacea, ut tota planta glaberrima, subtus pallidiora venis rufescentibus eleganter reticulata, quatuor pollices longa, duos lata. Petiolus semipollicaris. Glandulae nullae; nec stipulas, ni fallor caducas, observavi. Corymbus terminalis, ter quaterve dichotomus, dein minus regulariter in pedunculos subfastigiatos divisus. Bractee squamaceae, ad quamvis divisionem oppositae, ovatae, acutae. Calyx profunde quinquepartitus, laciniis ovatis obtusissimis, aestivatione imbricatis, dein tubo corollae appressis, duas lineas cum dimidia longus. Corolla speciosissima, duos fere pollices longa. Tubi pars inferior subcylindrica, superne parum sensim angustata, semipollicaris, intus medio, ubi antherae affixae sunt, hirsuta; pars superior subito campanulata, inferiori duplo longior, fauce nuda, diametro fere semipollicari. Limbus aestivatione inflexo-contortus, dein erecto-expansus, diametro sesquipollicari, laciniis obovato-obtusis. Antherae in conum arcte cohaerentes, sagittatae, in inferiore tubi parte sessiles, in superiorem eiusdem partem porrectae, ultra duas lineas longae. Ovaria duo, oblonga, discreta, approximata, desinentia in stylos duos, mox vero in unicum concretos. Stigma intra conum antherarum latens, iisque tenaciter adhaerens, obtusum. Squamae hypogynae in anulum concre-

tae, germen cingentem et fere superantem, fauce parum contractum, obsolete decemdentatum. Fructum non vidi.

Observatio. Vix genuina Echitae species, sed donec fructus innotuerit, haud segreganda. Squamae hypogynae in anulum concretae ad novum genus constituendum minime valent, quum easdem in genuina Echitae specie (E. Domingensi Swartz.) observavit cl. Rob. Brown in Wern. soc. mem. I. pag. 61.

57. *Plumiera rubra* Linn. sp. pl. pag. 306.

58. *Tabernaemontana repanda* mihi.

Foliis obliquis subrepandis utrinque acuminatis, corymbo terminali, antheris inclusis, corollae laciniis ovatis acutis.

Rami dichotomi, ut tota planta glaberrimi, cortice ruguloso cinerascete, iuniorum virente. Folia opposita, oblonga, utrinque breviter acuminata, margine reflexo inter costas leviter repando subcoriaceo, penninervia, longitudine quadri-sexpollicari, latitudine sesquipollicari, alterum altero parum minor. Petioli brevissimi, margine membranaceo demum evanescente coniuncti. Corymbus intra iuniorum ramulorum dichotomiam terminalis. Pedunculus sesquipollicaris, indivisus, tunc dichotomus. Pedicelli brevissimi, subfastigiati. Bractee ad divisiones minutae, ovatae, subacuminatae, decolores. Calyx tres lineas longus, quinquefidus, laciniis obtusissimis. Corollae tubus decem lineas longus, cylindricus, medio, ubi antherae insident, parum coarctatus et intus hirsutus; faux nuda; limbus quinquepartitus, diametro semipollicari, laciniis ovatis acutis. Antherae sagittatae, in medio tubo subsessiles, conniventes, sed non cohaerentes, faucem haud aequantes. Germen minutissimum, ovatum, iam bipartibile. Stylus filiformis, longitudine staminum. Stigma obtusum. Squamae hypogynae nullae. Fructum non vidi.

Observatio. Proxima videtur *T. undulatae* Vahl., quae vero a nostra differt: floribus maioribus, corollae laciniis linearibus obtusis, foliorumque acumine vel quadruplo longiore. Cf. etiam *T. speciosa* Poir. enc. suppl. V. pag. 275., quam pro mea haberem, ni corymbi dicerentur axillares et folia integerrima.

59. *Vinca rosea* Linn. sp. pl. pag. 305.

25. IASMINAEAE.

60. *Iasminum grandiflorum* Linn. sp. pl. pag. 9.

26. LOBELIACEAE.

61. *Lobelia Surinamensis* Linn. sp. pl. pag. 1320.

Observatio. Apud Roem. et Schult. (syst. veg. V. pag. 52.) in descriptione Linnaeana legitur: »folia tenuissima;« apud Willdenowium (sp. pl. I. pag. 946.): »folia serrata tenuissima;« apud ipsum denique Linnaeum: »folia serrata tenuissime,« ut revera sunt.

27. COMPOSITAE.

62. *Kleinia Porophyllum* Willd. sp. pl. III. pag. 1738. —
Cacalia Porophyllum Linn. sp. pl. pag. 1169.

63. *Mikania Houstonis* Willd.

Caule scandente, foliis ovatis integerrimis asperis, racemis brachiatis.

M. Houstonis Willd. sp. pl. III. pag. 1742.

Eupatorium Houstonis Linn. sp. pl. pag. 1172. Swartz. observ. pag. 300.

Folia opposita, petiolata, ovata, acuminata, integerrima, margine revoluta, supra rugosa, nitida, retrorsum asperrima, subtus reticulato-venosa, laevia, subpubescentia.

Reliqua optime⁵ descripsit cl. Swartz. — In specimine unico, quod coram habeo, circiter quadripedali, e cuiuslibet folii axilla extenditur racemus calathidum densissimus, supremi pollicares, inferiores pedales, sub his rami, eodem modo ac totius plantae fastigium, brachiato-racemiferi, ita ut in toto specimine adsint racemi sex et quadraginta. Pedunculi divaricati, bractea angusta, pedunculum aequante, suffulti.

Observatio. Habitus genus proprium indicare videtur.

64. *Mikania amara* Willd. sp. pl. III. pag. 1744. — *Eupatorium amarum* Vahl. symb. III. pag. 93. — *Eupatorium parviflorum* Aubl. guian. II. pag. 797. tab. 315.

65. *Eupatorium montanum* Swartz. prodr. pag. 111.

66. *Eupatorium conyzoides* Vahl. symb. III. pag. 96.

67. *Eupatorium odoratum* Linn. sp. pl. pag. 1174. Swartz. observ. pag. 300.

68. *Ageratum conyzoides* Linn. sp. pl. pag. 1175.

28. RUBIACEAE.

69. *Spermacoce discolor* mihi. *Mikania amara* Kunth

Caule suffruticoso pubescente, foliis lanceolatis utrinque acuminatis glabris asperis subtus canescentibus, floribus verticillatis sessilibus, fructu hirto.

Caulis suffruticosus, erectus vel ascendens, a semipedali ad sesquipedalem altitudinem, basi lignescens, ramosus, ramis brevibus erectis teretiusculis, superne subsimplex, tetragonus, cortice rubente pubescente, praesertim ad angulos, internodiis circiter pollicem longis. Folia opposita, lanceolata, apice basique acuminata, et adeo in petiolum decurrentia, ut quodammodo sessilia dici possint, sesquipollicaria et longiora, infima tamen breviora, latiora, et fere obovata, utrinque acuminata, margine integerrima, subrevoluta, hispida, in utraque pagina.

retrosum asperrima, glabra, supra viridia, subtus canescens, subnovemnervia, nervo venisque rufescentibus. Stipulae fissae in setas utrinque septem ad undecim, duas fere lineas longas, ad lentem breviter ciliatas. Flores axillares, sessiles, subverticillati. Calyx irregulariter quadri-vel quinquedentatus, dentibus nunc aequalibus, nunc duobus collateralibus multo minoribus, hispidulis, pilis erectis, basi stipatus pilis ipsum fere aequantibus. Corollae tubus calycis dentibus duplo longior; limbi lacinae lineares, obtusae, ciliato-fimbriatae. Stamina in meis speciminibus exserta, longitudine lacinas corollae subaequantia, sed erecta. Stylus stamina aequans. Pericarpium calycis dentibus oblitteratis coronatum, pilis iam nunc patentissimis hirtum, perfecte biloculare, non dehiscens, fragile.

Observatio I. *Spermacoce Radula* Willd. apud Roem. et Schult. syst. veget. III. pag. 513. eadem ac nostra esse posset; an vero sit, ex sola diagnosi eaque manca divinari nequit.

Observatio II. Stamina modo inclusa modo exserta in Rubiaceis, aequae ac in Primulaceis, Labiatis et Valerianeis, non diversas species sed plantas ad dicliniam propensas indicare videntur.

70. *Coccocypsilum Tontanea* Humb. Bonpl. et Kunth.

Caule herbaceo repente, foliis ovatis, capitulis axillaribus solitariis longe pedunculatis.

Tontanea Guianensis Aubl. guian. I. pag. 108. tab. 42.

Bellardia repens Willd. sp. pl. II. pag. 626. Roem. et Schult. syst. veg. III. pag. 205. (excl. syn. Patr. Brown.)

Condalia repens Ruiz. et Pavon. peruv. I. pag. 54. tab. 84.

Coccocypsilum Condalia Pers. synops. I. pag. 132.

C. umbellatum Poir. encycl. suppl. II. pag. 307.

C. Tontanea Humb. Bonpl. et Kunth. nov. gen. III. pag. 406.

Syn. III. pag. 56.

C. repens Humb. Bonpl. et Kunth. l. c. pag. 405. (excl. synon. Patr. Brown.) Kunth. Syn. III. pag. 56.

C. repens β. Roem. et Schult. l. c. pag. 186.

Observatio. Descriptionem optimam dedit cl. Kunth, sub *Coccocypsil*o repente. Optime porro *Tontaneam* Aubl. *Coccocypsil*o Patr. Brown. iunxit. Sed perperam unicam speciem duobus nominibus venditasse videtur. Ea enim planta, quam pro *C. repente* (Brown. iamaic. pag. 144. tab. 6. fig. 2.) descripsit, praesertim ob capitula longe pedunculata, nec subsessilia, minime est planta Browniana, sed ipsissima Aubletiana (*Tontanea Guianensis*), ut ex comparatis Aubletii Kunthiique descriptionibus tam inter se quam cum meis eiusdem plantae speciminibus, certior factus sum. Hanc sequitur apud Kunthium *C. Tontanea* cum synonymo Aubletiano, sed absque descriptione; et utriusque diagnoses nullum offerunt discrimen, nisi quod in illa folia sericea, in hac hirsuta dicantur. Quibus perpensis, non possum utramque Kunthii plantam non pro eadem habere. Sed verā Brownei planta ab hac nostra floribus subsessilibus aliisque notis abunde differt.

29. LORANTHACEAE.

71. *Loranthus spicatus* Jacq. amer. pag. 97. tab. 68.

Var. β. *athroanthus* mihi.

Spicis inferioribus axillaribus, superioribus racemoso-confertis aphyllis.

Observatio. Novus forsitan, sed ob specimina incompleta non rite distinguendus. A planta Jacquiniiana differt praesertim inflorescentia magis composita, venisque foliorum, ni speciminibus incautius exsiccatis falsus sum, minus expressis. Convenit cum illa foliorum forma variabili, saepius ovata,

obtusa, et pinguedine, fructibusque foveis racheos quadri-
fariam insidentibus, eiusdem formae et magnitudinis.

72. *Viscum verticillatum* Linn. sp. pl. pag. 1452.

30. UMBELLIFERAE.

73. *Eryngium foetidum* Linn. sp. pl. pag. 336.

31. NOPALEAE.

74. *Rhipsalis Cassytha* Gaertn. fruct. et sem. I. pag. 137.
tab. 28. fig. 1. — *Cactus pendulus* Swartz. ind. occid. II.
pag. 876.

75. *Epiphyllum Phyllanthus* Haworth. synops. succulent.
pag. 197.

32. ONAGREAE.

76. *Iussiaea octovalvis* Swartz. observ. pag. 142.

33. CUCURBITACEAE.

77. *Trichosanthes amara* Linn. sp. pl. pag. 1432.

Caulis tenuis, profunde sulcatus, villosus. Folia circum-
scriptione deltoidea, acutissima, cordata, iuniora minus-sub-
inde minime cordata, sinuato-pinnatifida, laciniis infimis
saepe iterum sinuatis, omnibus irregulariter denticulatis, aliis
obtusis aliis acutis, summa insetam desinente; ciliata et utrin-
que ad costam, praesertim vero subtus villosa-hirsuta, cete-
rum glabriuscula, tres circiter pollices longa, duos lata. Pe-
tiolus folio paullo brevior, villosus. Cirrhus pone folium, ad
petioli longitudinem, simplex, villosus, rectus, tunc bifidus,
glaber, tortus. Flores in meis speciminibus male conservati.
Pedunculi axillares, solitarii, petiolorum longitudine, villosi.
Calyx villosus. Petala longe ciliata.

34. MYRTINEAE.

Observatio. Staminum aestivatio induplicata, quam in Melastomeis primus recte observavit cl. Rob. Brown (Observations on Smith's collection of plants from the vicinity of the river Congo. Appendix V. ad Tuckey's Narrative of an expedition to explore the river Zaire, usually called the Congo 1818. — pag. 435., *deutsche Uebers.* 1. S. 210.), eadem nec a Myrtineis aliena est. In ipso quidem Myrto aliisque generibus antherae semper erectae sunt; sed iam in Eugenia et Metrosidero stamina sunt ante anthesin unilateraliter induplicato-declinata; in Melaleuca portio filamentorum connata erecta est, libera cum antheris undulatim inflexa; in Tristania denique et Leptospermo prorsus eandem staminum aestivationem ac in Melastomeis observavi. Quae vero Brownio iam ob id nequeunt esse ignota, quia tantum abest, ut staminum aestivatione pro utroque ordine distinguendo utatur, ut potius unicum discrimen quaerat in glandulis Myrtinearum pellucidis, quibus Melastomeae sint destitutae. — Certiorem autem utriusque ordinis diagnosin me invenisse existimo in antherarum dehiscentia apud Myrtineas longitudinali, apud Melastomeas terminali.

78. *Psidium pyriferum* Linn. sp. pl. pag. 672.

Observatio. In meis speciminibus folia obtusiuscula, pedunculi uniflori, *Psidium pyriferum*, sed fructus prorsus globosi *Psidium pomiferum* indicare videntur. An species vere diversae? an potius cultura longaeva ortae?

79. *Eugenia Iambos* Linn. sp. pl. pag. 672.

80. *Punica Granatum* Linn. sp. pl. pag. 676.

35. MELASTOMEAE.

Observatio I. Petalomate excepto, Melastomeas hic enumerandas bacciferas *Melastomatis*, capsuliferas *Rhexiae* nomine comprehendam. Genera enim, a clo. Ventenat proposita (Notice sur les plantes publiées dans l'ouvrage intitulé: Choix de Plantes etc. in Mém. de l'instit. nat. sc. mathém. et phys. 1807. — pag. 7. sqq.), nec satis definita nec ipsi naturae convenientia mihi aliisque visa sunt. Nuperrima generis *Melastomatis* limitatio secundum antherarum structuram auctore clo. Jack (in Linn. soc. transact. XIV. pag. 1. sqq.) melius quidem naturam exprimere videtur; minime vero quae hic excluduntur auctorum *Melastomata*, in unicum novum genus, *Stomandram* Jack, coërceri possunt. Ipsi mihi ad plura genera condenda deest sufficiens specierum copia. Satius igitur visum est, ea sedulo observasse, quae in posterum forsan ad characteres genericos constituendos adiuvere possent.

Observatio II. In computandis foliorum nervis multum discrepant auctores. Ch. Swartz, Willdenow, aliique nervos exteriores, si margini approximati sunt, e ratione excludere solent. Cl. Bonpland contra omnes numerat nervos, et eos, qui statim evanescent. Unde summa diagnosium ambiguitas. In sequentibus nervi omnes, qui per totum folium extenduntur, tum marginales tum a margine remotiores, ad calculum revocati sunt; qui antea evanescent, exclusi.

81. *Petaloma Muriri* Swartz. ind. occid. II. pag. 835. tab. 14. litt. i. — *Mouriri Guianensis* Aubl. guian. I. pag. 453. tab. 180.

Observatio. Genus, ut iam observavit cl. Rob. Brown, inter Melastomeas Myrtineasque medium tenens. Folia coriacea, flexuoso-venosa et subtus ad lentem elevato-punctata,

quamvis non pellucido-glandulosa, plantam Myrtineam potius quam Melastomeam indicant. Sed antherae, quarum thecae apice dehiscunt, quarumque commissura ad basin in processum retroversum vaginaeformem decurrit, Melastomeam esse suadent. Thecae antherarum basi parum solutae, apice arcte iunctae et reflexae, utraque longitudinaliter bilocularis, ita tamen, ut loculamenta exteriora in apicem recurvum minus elongentur. Apice dehiscunt Melastomearum more, non vero, ut reliquae mihi notae, per poros, sed per rimas duas oblique semilunares secus thecarum dissepimenta, qua re iterum affinitas aliqua cum Myrtineis demonstratur.

82. *Melastoma spicatum* Aubl.

Foliis ovato-subcordatis quintuplinerviis bullato-papillatis hispidulis subtus tomentosis, racemis axillaribus alternis, calyce quinquedentato dentibus acutis, petalis suborbiculatis.

M. spicata Aubl. guian. I. pag. 423. tab. 165. Desrousseaux in Lam. encycl. IV. pag. 31.

Rami teretiusculi, inferne subtetragoni, pilis patentibus flexuosis rufescentibus hirsuti. Folia ovata vel elliptico-ovata, tres circiter pollices longa, duos lata, brevi acuminata, basi rotundata vel parum cordata, irregulariter serrulata, ciliata, quintuplinervia, nervis parum supra basin folii ex eodem fere puncto ortis, quibus accedunt nervi marginales saepe vix dimidium folium percurrentes, saepe fere toti obsoleti. Venae primariae more generis transversae, parallelae, secundariae adhuc satis conspicuae, nervis parallelae, quarum areolae in aversa pagina cryptas, in adversa papillas constituunt, desinentes in pilum singulum hispidum. Subtus folia tomentosa, interiectis pilis longioribus hispidulis. Petioli tres quatuorve lineas longi, valde hirsuti. Racemi axillares, alterni, raro dimidium folium excedentes, saepe simplices, rarius versus

basin parum compositi, hirsuti, floribus breve pedunculatis. Calyx quinquedentatus, hirsutus, dentibus deltoideis acutis longe ciliatis; tubo ante anthesin cylindraceo, dein aucto. Petala quinque, calycis dentibus subtriplo longiora, suborbiculata. Antherae basi bicallosae. Stigma obtusum. Bacca calyci adnata, eique parum brevior, apice post stylum deiectum foveolata, fovea ciliata, in meis speciminibus constanter quadrilocularis. Placentae longitudinaliter angulo interno affixae, bialatae, media loculamentorum occupantes.

Observatio. Huic proximum est

* *Melastoma crenatum* Vahl.

Foliis ovato-subcordatis quintuplinerviis planis utrinque hispidulis, racemis axillaribus oppositis, calyce quinquedentato, dentibus subulatis, petalis oblongis acutis, bacca adnata quinqueloculari.

M. crenata Vahl. eclog. I. pag. 41. Eiusd. icon. III. tab. 24.

M. hirta Sieber! herb. martinic. nr. 299. (in Oken. Isis 1822. anz. pag. 454.) sed non Linnaei.

Differt a *M. spicato*: foliis longius petiolatis, planis nec bullato-papillosis, subtus absque tomento; racemis oppositis brevioribus, petiolos vix superantibus; pedunculis longioribus, infimis fere semper partitis; calycis laciniis duplo longioribus, subulatis; petalis oblongis acutis; bacca parum ultra medium calyci adnata. — Conveniunt autem inter se: habitu; calyce quinquedentato; antheris basi bicallosis; stigmatibus obtusis; foveae styliferae margine ciliato; bacca quadriloculari (forsan non nisi abortu, nam in ipso *M. spicato* et affinibus cl. Aublet observavit baccas quinqueloculares); placentis longitudinaliter affixis, usque in media loculamenta protensis, bialatis, quo fit, ut semina partim peripheriam baccae, partim dissepimentata, partim angulos internos spectent. — Qua singulari semi-

num placentatione an novum genus fundandum? An eadem est in *Melastomate elegante* Aubl., aliisque eundem habitum ferentibus?

83. *Melastoma holosericeum* Linn. sp. pl. pag. 559. Vahl. eclog. I. pag. 42.

Var. β. acuminatum? Humb. et Bonpl.

Foliis oblongis acuminatis apice serrulatis quintuplinerviis, supra glaberrimis subtus petiolis ramisque hirtis, panicula terminali brachiata, calyce hirto quinquedentato, bacca sublibera triloculari apice sexseta.

M. holosericea var. acuminata? Humb. et Bonpl. melast. I. pag. 53. tab. 24.

Specimina mea quam maxime, excepta superiore foliorum pagina, ad calycem usque hirsutissima, pilis ex flavo fuscescentibus patentissimis vel etiam reflexis. Caulis teretiusculus et minime ad nodos ita incrassatus, ut eum exhibet icon laudata. Folia paullo longiora magisque acuminata ac in illa icone, basi integerrima, leviter revoluta, apicem versus serrulata, quintuplinervia, nervis exterioribus marginalibus, sed per totum folium excurrentibus. Panicula terminalis, ramis patentibus plurimis, apice brachiatis dichotomis, inferioribus saepius ramosis, floribus in dichotomiis ramulisque subsessilibus subsecundis. Bracteae lineari-lanceolatae, divaricatae, primariae fere semipollicares, florales calyce parum breviores. Calyx quinquedentatus, dentibus brevibus obtusiusculis persistentibus. Petala longitudine calycis, obovata. Stamina explicata non vidi. Antherae basi bicallosae. Bacca fere tota libera, fragilis, et ni fallor exsucca, apice rotundata, cicatrice styli deiecti tuberculata, nec ut antecedentis foveolata, setis sex brevibus subreflexis cincta; in meis specimenibus constanter trilocularis, placentis angulo loculamen-

torum interno longitudinaliter affixis, eique appressis, nec ut in antecedentibus per processum membranaceum bialatum in media loculamenta extensis; quo fit, ut si dissecueris fructum, semina cuncta, funiculis rectis affixa, parietem baccae externam spectent, nec ut in antecedentibus tot circulos quot loculamenta efficiant.

Observatio. Forsan nova species, cuius vero differentia ex mera icone et descriptione Bonplandii minus exacta non liquet. — De characteribus genericis, in posterum forsan adhibendis, cf. observatio I. sub sequente specie.

84. *Melastoma pleurocarpum* mihi.

Foliis oblongis acuminatis serrulatis ciliatis basi truncatis quintuplinerviis pilosiusculis, petiolis ad margines tomentosus, panicula terminali floribus glomeratis, calyce glabro decemcostato quinquedentato, bacca semilibera triloculari apice impressa, margine integro coronata.

Caulis teres, cortice glabro viridi tenuiter striato. Folia quatuor vel quinque pollices longa, 18-20 lineas lata, oblonga, acuminata, basi rotundato-truncata, toto margine serrulata, ciliata, quintuplinervia, nervis subtus flavicantibus, exterioribus submarginalibus, sed per totum folium excurrentibus, utrinque pilis raris appressis flavicantibus adspersa. Petioli quatuor vel quinque lineas longi, dorso glaberrimi, ad margines vestiti tomento fuscescente, in inferiore foliorum pagina decurrente usque ad communem nervorum originem. Panicula terminalis, ramis patentibus, ramulis subdivaricatis tomentoso-furfuraceis. Bractee divaricatae, lineari-lanceolatae, glabriusculae, florales calyce fere duplo breviores. Flores in apice pedunculorum capitati, saepius terni. Calyx glaberrimus, brevissime quinquedentatus, sub anthesi pallescens, decemstriatus, in fructu caesio-nigricans, decemcostatus. Pe-

tala quinque, obovata, concava, unguiculata, reflexa, longitudine calycis. Stamina decem, aequilonga. Filamenta capillaria, petalis duplo longiora. Antherae tenues, longe rostratae, basi bicallosae. Germen in fundo calycis minutissimum et maximam ad partem liberum. Stylus ante anthesin stamina induplicata apice curvato superans. Stigma capitatum. Bacca, ni fallor, exsucca, ultra medium calyci adnata, fragilis, apice depressa et margine brevissimo integro prorsus libero coronata, intra foveam vero styli deiectionis cicatrice tuberculata, trilobularis, seminum placentatione eadem ac in antecedente, cui et tota planta habitu similis.

Observatio I. Conveniunt inter se species duae antecedentes differuntque a *M. spicato* et *crenato* (an etiam ab affinis?): bacca trilobulari, quam, ob setas sex stylum cingentes, in altera specie observatas, non abortu ortas sed normales esse autumo; cicatrice styli deiectionis non foveolata sed plus minusve protuberante; praesertim vero peculiari seminum placentatione, supra descripta. Accedit habitus, praesertim ab inflorescentiae modo pendens. Quae omnia eadem observavi etiam in *Melastome racemosa* Aubl. — Calyx quinquedentatus, antherae basi bicallosae et stigma obtusum in hisce aequae ac in prius memoratis observantur.

Observatio II. *Melastoma calyptatum* Vahl. a reliquis omnibus mihi notis speciebus eo differt, quod staminum ante anthesin induplicatorum arcus alternatim breviores sunt, quamvis stamina explicita longitudine aequales. Nec taceam, me flores invenisse constanter decandros, quem numerum eo libentius pro normali habeo, quoniam petala, iam Vahlis observante, adsunt quinque, et quoniam in alia specie dodecandra, in *Melastome patente* Swartz., teste auctore numerus staminum respondet numero petalorum senario.

Observatio III. Ab omnibus Melastomatibus hic memoratis longe differt planta, quam cl. Sieber in herbario marticensi nro. 119. pro *Mel. arborescente* dedit, quamque habeo pro

* *Blackea pulverulenta* Vahl. symb. III. pag. 61.

Descriptioni Vahlinae haecce addere liceat. — Folia a longitudine quadripollicari fere ad duplam triplamve varia, maiora, rarius etiam minora, inde a medio exacte dentata, subciliata, quintuplinervia, nec trinervia, nisi nervos marginales per totum folium excurrentes, iamque ab ipso Vahlia observatos, negligamus; supra plerumque vestita pilis raris brevibus appressis flavicantibus. Calyx iam ante anthesin durus, baccaeformis, subglobosus, pisi magnitudine, demum circumscissus, margine praerupto. Petala octo, obovata, in unguem brevem attenuata, concava (ungue ante anthesin vix ullo observabili). Stamina petalis numero tripla, aestivatione pro more ordinis induplicata, aequalia, antheris appendiculatis petala aequantibus. Stylus crassus, ante anthesin rectus, staminum induplicatorum arcus exacte aequans, dein parum declinatus, staminibus explicitis parum brevior. Stigma rectum, peltatum, radiato-striatum, medio paullo excavatum. Bacca calyci aliquantum aucto adnata, hemisphaerica, apice excavata, umbilicata, striis radiatis viginti quatuor notata, umbilico tubum referente, ore integro, in cuius fundo styli deiectionis cicatrix latet, ita ut stylus basi vaginatus haberi oporteat. Dissepimenta baccae duodecim. Placentae totidem, dissepimenta mentientes, membranaceae, angulo interno loculamentorum per totam longitudinem affixae, abhinc fere usque ad partem baccae exteriori protensae, margine anteriore paulum incrassatae. Semina lateribus placentarum per funiculos brevissimos affixa, plurima dissepimentis adversa, pauca periphe-

riam spectantia, horizontalia, obovata, exalbuminosa. Embryo rectus; radícula minuta, infera.

Plantam, modo descriptam, nec *Melastomatis* sive *Stomandrae*, nec *Blackeae* Patr. Brown. esse speciem, facile apparet. Affinior est *Blackeae* Aubl. Quod genus, quum a *Blackea* Patr. Brown. longe diversum est, alio nomine donari debet. Nec prorsus negari potest affinitas aliqua nostrae plantae cum *Melastomate arborescente* Aubl. et *succoso* Aubl.; quae an eiusdem generis sint, inquirendum est.

85. *Rhexia aquatica* Swartz. ind. occid. II. pag. 650. — *Melastoma aquatica?* Aubl. guian. I. pag. 430. tab. 169.

Folia in meis speciminibus quinquenervia, cum nervis accessoriis marginalibus, dimidium folium vix percurrentibus, utrinque glabra. Partium numerus in flore fructuque constanter quaternarius. Antherae basi antrorsum bicornes, cornubus adscendentibus. Stigma obtusum. Pericarpium calyci semiadnatum, apice subtetracoccum, fragile, prorsus exsuccum; nihilominus ne dehiscat dubito, quum in meis speciminibus, seminibus prorsus maturis, ne levissimas quidem valvularum suturas detegere licuit. Styli deiecti cicatrix minutissime tuberculata. Placentae longitudinaliter adnatae, crassae, tuberculatae; dissepimentis arte remotis constituentes columellam oblongam tetragonam, angulis canaliculatis, canaliculis dissepimentorum insertioni inservientibus.

Observatio. Aut species mirifice ludit, aut duas species cl. Swartz confudit. Nam Aubletius plantae suae folia supra hirsuta, numerumque partium quinarium tribuit. Quem secutus Swartz folia tantum hirsutiuscula, at numerum partium variabilem esse, contendit.

86. *Rhexia hypericoides* Willd. Villosissima, foliis oblongis acutis integerrimis brevius pe-

violatis reflexis quinquenerviis, floribus solitariis terminalibus et alaribus, capsula libera pentacocca apice barbata.

R. hypericoides Willd. sp. pl. II. pag. 303.

Melastoma villosa Aubl. guian. I. pag. 428. tab. 168.

Merianae species Venten. in Mém. de l'inst. nat. sc. mathém. et phys. 1807. pag. 11.

Caulis erectus, villosus, pilis longis densis patentibus, basi violaceis apice incanis. Folia reflexa, pollicem circiter longa (non septem sed-) quinquenervia, cum nervis accessoriis marginalibus dimidio folio brevioribus et saepe obsoletis, vestita pilis appressis brevibus paullo rigidioribus ac caulinis, in lamina superiore flavis, in inferiore ex albo flavicantibus. Petioli villo caulino breviores, unde folia primo intuitu sessilia videntur. Flores solitarii, alares et terminales in ramulis subpaniculatis. Folia floralia reliquis minora, ceterum similia. Calyx ovato-tubulosus, quinquangularis, decemstriatus, profunde quinque-dentatus, dentibus persistentibus, villosus, quatuor lineas longus. Petala non vidi. Stamina decem, antheris basi antrorsum bicornibus inaequalibus, commissura thecarum in staminibus tribus, ni falsus sum, eiusdem lateris elongata, in reliquis adeo abbreviata, ut cornua pone thecas appareant. Stylum non vidi. Capsula intra calycem libera, quinquangularis, pentacocca, carpellis apice barbatis conniventibus, foveam profundam quinquenerviata post stylum deiectum constituentibus, apice dehiscentibus per suturam longitudinalem. Placentae crassae, paullo infra medium angulo loculamentorum interno affixae, basi et apice solutae, in media loculamenta protensae, antice seminiferae.

Observatio. Similem structuram reperi in specie sequente, eundem habitum ferente.

* *Rhexia glomerata* Rottb.

Foliis ovato-oblongis acutis integerrimis brevius petiolatis patentibus trinerviis hispidulis, floribus terminalibus glomeratis, calycibus quadrifidis ramoso-pilosis, capsula libera apice retusa setigera.

Rh. glomerata Roub. surinam. pag. 8. tab. 4.

Rh. obvallata Sieber! herbar. martinic. nro. 99. (in Oken. Isis 1822. anz. pag. 453.)

Rottboellii descriptioni addamus sequentia. — Calyx exacte quadrifidus, nec partitus, tubo pilis verticillatim ramossimis vestito, limbi laciniis rectis nudis brevissime pectinato-ciliatis. Petala laciniis calycinis duplo longiora, obovata, unguiculata. Stamina octo, aequalia, petalis parum breviora, thecarum commissura antice curvata, in tuberculum didymum fulvum desinente. Stigma subcapitatum, obtusum. Capsula libera, apice parum retusa, cicatrice styli deiecti setis rectis cincta, quadrilocularis, placentatione seminum eadem ac in praecedente specie. Dehiscendae modum non observavi, sed suturae satis apertae sunt.

Memorabilis illa seminum placentatio, si in affinibus eadem est ac in hac et praecedente, optimum praebit novi generis characterem.

36. SALICARIEAE.

87. *Dodecas Surinamensis* Linn. fil. suppl. pag. 36. et 245.

Character generis. Calyx quadrifidus, aestivatione valvata. Petala quatuor, calyci inserta, suborbiculata. Stamina duodecim, infra petala inserta, filamentis in tubum calycis decurrentibus, antheris adnatis oblongis. Stylus flexuosus, stigmate obtuso. Capsula supera, calyce tecta, globosa, semiquadrivalvis, unilocularis. Placenta centralis subglobosa, stipitata. Semina numerosa, exalbuminosa. Radicula infera.

Speciei descriptio. Rami lignosi, teretiusculi, cortice cinerascete, ut tota planta glabra. Ramuli approximati, quadrangulares, alii stricti, alii varie flexi. Folia opposita, decussata, exstipulata, subsessilia, cuneiformi-obovata, obtusissima, ad lentem brevissime mucronulata, pollicaria vel parum longiora, superne quatuor lineas lata, integerrima, nitoris expertia. Pedunculi saepius uniflori in apice ramulorum axillares, parum infra florem bibracteati; rarius ex ipsarum bractearum axillis accedit pedicellus unus vel alter brevissimus, bracteis sub floribus tunc nullis. Calyx tubo urceolato rotundo, limbo ante anthesin tetragono, dein patente, laciniis deltoideis mucronatis. Petala breve unguiculata, calyce parum longiora. Stamina petalis breviora. Antherae thecis parum divergentibus, basi emarginatae. Stylus staminibus parum longior. Capsula magnitudine pisi mediocris.

Observatio I. Linnaeus filius in huius generis caractere essentiali corollam pentapetalam dixit, quod certe nil nisi vitium scribendi, quum mox in caractere naturali rectius dixit petala quatuor. Hinc deceptus cl. Willdenow eumque secutus Persoon, quorum neutrum plantam vidisse suspicor, non modo petala quinque sed etiam calycem quinquefidum ei tribuerunt, quamvis ipse cl. Willdenow in adiecta Linnaei descriptione calycem quadrivalvem, et in generum dodecandrorum conspectu calycem quadrifidum, corollam tetrapetalam dixerit.

Observatio II. Ipse Linnaeus filius erravit in eo, quod stamina receptaculo inserta dixit, quae omnino perigyna sunt, licet decurrant quasi filamenta ad ipsum receptaculum usque, ideoque nos doceant tum veram omnis perigyniae naturam, tum exiguum eius valorem.

Observatio III. Erravit idem cl. auctor in eo, quod

hanc stirpem forte Iussiaeae speciem esse pronunciavit, quacum nullam veram habet affinitatem. Nec ad Myrtineas sed certissime ad Salicarieas pertinet, ut iam ex Linnaei descriptione suspicatus est ingeniosissimus Iussieu, quamvis inter Myrtineas genus enumeravit. Proxima affinitas esse videtur cum *Ginoria* Jacq. amer. pag. 148. tab. 91., quacum convenit, quantum ex icone et descriptione patet, tum toto habitu, tum praesertim inflorescentia, tum floris fructusque structura, exceptis et partium numero in *Ginoria* senario, et antherarum forma in eadem reniformi.

37. ROSACEAE.

88. *Rosa sempervirens* Curt. magaz. tab. 284.

38. CHRYSOBALANEAE.

89. *Chrysobalanus Icaco* Linn. sp. pl. pag. 681. Jacq. amer. pag. 154. tab. 94.

90. *Hirtella paniculata* Swartz. prodr. pag. 51. Vahl. symb. II. pag. 43. tab. 31. Meyer. essequeb. pag. 122. — *H. hirsuta* Lam. illustr. gen. nr. 2754. Schult. syst. veget. V. pag. 272. — *H. aggregata* Poir. encycl. suppl. III. pag. 53.

In meo specimine racemi in ramis terminales, omnino solitarii, stricti, densiflori, axillares nulli. Rachis, pedunculi et exterior calycis facies aequae ac rami foliorumque venae marginesque hirti. Calyx profunde quinquefidus, sed non partitus, pedunculo oblique affixus, aestivatione solito more imbricata, i. e. laciniis duabus oppositis extimis, duabus intimis, quinta interiecta hinc tecta hinc tegente, omnibus dein reflexis, intus tomentoso-pubescentibus. Stamina, ut in specimine suo Essequeboensi observavit cl. G. F. W. Meyer, constanter sex, eaque glaberrima, perigyna.

Observatio. Cl. Schultes quam ob rem nomina *Hirtellarum* Lamarckiana Swartzianis praetulerit, nescio, quum haec in prodromo 1788. edita priora sunt.

91. *Hirtella apetala* mihi.

Foliis ovato-oblongis acuminatis glabris, racemis compositis terminalibus, floribus apetalis enneandris, calyce patente.

Rami lignosi, flexuoso-virgati, glabri; ramuli iuniores pilis appressis sparsis hirsuti. Folia pollicem circiter ab invicem distantia, breve pedunculata, ovato-oblonga, quadripollicaria, latitudine subsesquipollicaria, acuminata, basi subacuta, integerrima, (in siccis, an etiam in vivis? leviter undulata,) venoso-reticulata, glabra, supra nitentia; iuniora tamen ad costam subtus hirsuta. Racemi compositi, alterni, in apice ramorum, erecto-patentes. Pedunculi pubescentes, divaricati, alterni, flore terminati, ad cuius basin oriuntur pedicelli bini, oppositi, vix lineam longi, triflori. Bracteae minutissimae ad basin cuiuslibet divisionis, florales nullae. Calyx non oblique, sed omnino recte pedicello insidens, tomentoso-pubescentis, eiusdem fere magnitudinis ac in *Aphane arvensi*, tubo urceolato, limbo aestivatione imbricata, ita tamen, ut lacinae duae oppositae hinc unicum intimam marginibus suis tegant, hinc a duabus collateralibus extimis et inter se alternis tegantur; laciniis omnibus dein patentibus, nec ut in reliquis speciebus reflexis, obtusiusculis, pubescentibus. Petala certe nulla, nec ante anthesin ulla eorum rudimenta. Stamina novem, quinque laciniis calycinis alterna, quatuor iis opposita, decimum deficiens ante laciniam stylo aversam; inserta calyci parum infra faucem et supra barbam tubi annularem. Filamenta glaberrima, calyce subquadruplo longiora, demum irregulariter tortuosa. Antherae incumbentes, suborbiculatae, deciduae, thecarum commissura oblonga callosa. Germen

minutissimum, globosum. Stylus basilaris, adscendens, ad medium usque hirtus, superne glaber. Stigma subulatum. Fructum non vidi.

39. ACACIEAE.

92. *Inga punctata* Willd. sp. pl. IV. pag. 1016. (excl. synon. Jacq.)

Observatio I. Differunt specimina mea a Willdenowii descriptione: petiolis non strigosis sed plurimis glabris, iunioribus tantum, sicut apice ramulorum, rachi, pedunculisque brevi tomento vestitis; nec non spicis ovatis potius quam oblongis. Quae vero et in aliis speciebus, ut scio, variant.

Observatio II. *Mimosa fagifolia* Jacq. amer. pag. 264. tab. 164. planta valde dubia est, a vera *M. fagifolia* merito remota, sed ab *Inga punctata* tam longe recedens, ut, donec alia forsans species iconi et descriptioni Jacquini magis respondens observetur, inter dubias enumeranda sit.

40. CAESALPINIEAE.

93. *Cassia bacillaris* Linn. fil.

Caule geniculato, foliis biugis, foliolis obliquis ovatis, glandula obtusa inter infima, racemis axillaribus, legumine tereti loculoso non dehiscente.

C. bacillaris Linn. fil. suppl. pag. 231. Collad. cass. pag. 87.

C. americana tetraphylla Houst. reliq. tab. 17.

Cathartocarpus Bacillus Pers. synops. I. pag. 459.

Cathart. bacillaris Jacq.? fragment. pag. 59. tab. 85. fig. 4.
(icon fructus.)

Descriptioni Linnaeanae sequentia addamus. Caulis flexuo-

so-geniculatus. Folia subreflexa. Petiolus teres, sulcatus, muticus, bipollicaris. Foliola supra nitentia, subtus glaucescentia, parum acuminata. Stipulae subulatae, deciduae. Racemi erecto-patentes, petiolos subaequantes. Pedicelli quadrisulcati, erecti, demum elongati, divaricati. Bracteae lineari-lanceolatae, concavae, deciduae. Calycis lacinae oblongo-ellipticae, obtusissimae, subaequales. Petala obovata, trinervia, superius decem lineas longum, reliqua sensim minora. Stamina septem, fertilia, subaequalia, sterilia nulla. Antherae adnatae, oblongae, incurvae, glabrae, uncinatim rostratae, apice poris dehiscentes. Germen hirsutum, teretiusculum. Fructum non vidi.

Observatio I. Icon laudata, quamvis rudis, et quamvis foliorum forma minime naturalis sit, tamen ob caulem geniculatum, huic unicae speciei, quantum scio, proprium, huc pertinere videtur.

Observatio II. Memorabilem huius varietatem, partibus omnibus usque ad exteriorem calycis petalorumque faciem pubescentibus, foliolis paullo angustioribus, acutis nec acuminatis, Panamae legit beatus Haenke.

Observatio III. Cassiae genus Linnaeanum in genera tria vere naturalia dividendum mihi videtur, quorum characteres primarii in antherarum structura calycisque aestivatione quaerendi sunt, secundarii et minus certi in leguminis forma et fabrica, in inflorescentia, et in stipularum cum foliolis comparatarum magnitudine; ut paucis hic exponere iuvabit.

* CATHARTOCARPUS Pers. (Bactryrilobium Willd.)

Calyx quinquepartitus, obtusus, aestivatione involvente. Corolla pentapetala, subregularis. Stamina decem, fertilia, inaequalia, antheris ovatis obtusis longitudinaliter dehiscentibus. Legumen teres, non dehiscent, loculosum, pulpa farctum.

Arbores vel frutices altiores, stipulis ratione foliolorum parvis deciduis, floribus racemosis.

Huc pertinent species sectionis primae, *Fistulae*, apud Colladon, exclusa specie ultima, *Cassia bacillari*, quae quidem legumine Cathartocarpi, sed antheris habituque Cassiae praedita est

** CASSIA Linn. (excl. speciebus.)

Calyx quinquepartitus, obtusus, aestivatione involvente. Corolla pentapetala, subregularis. Stamina saepius decem, inaequalia, nonnulla sterilia raro deficientia. Fertiliū antherae oblongae, curvatae, rostratae, *apice poris dehiscentes*. Legumen varium.

Frutices, stipulis foliolorum ratione parvis, saepius deciduis, floribus saepius racemosis.

Huc pertinent Colladonii Sectio altera, *Chamaefistula*, tertia, *Herpetica*, quarta, *Senna*, quinta, *Chamaesenna*, et *Cassia bacillaris*, quae hoc genus cum antecedente iungit. *Cassiam cytisoidem*, quam in peculiari sectione enumeravit Colladon, et in posterum forsā pro genere peculiari habendam esse asserit, non novi; ex icone et descriptione autem genuinam Cassiae speciem esse, sequenti generi proximam, autumarem.

Legumen Cassiarum mirifice variat tum forma, tum substantia, tum interna fabrica, tum vel dehiscentia vel perpetua valvularum cohaerentia, tum denique pulpaē vel praesentia vel absentia; unde sequitur, nec genera Cassiae proxima, qualis est Cathartocarpus, fructu fundari posse.

*** CHAMAECRISTA Moench.

Calyx quinquepartitus, acutus, *aestivatione valvata*. Corolla pentapetala, subregularis. Stamina 5-7-10 fertilia. An-

therae lineares, per rimas decurrentes *villosas* apice dehiscentes. Legumen lineare, pulpa destitutum.

Herbae vel suffrutices, rarius frutices, stipulis ratione foliolorum magnis persistentibus, floribus in axillis foliorum solitariis aut fasciculatis, rarissime racemosis terminalibus. Foliola saepius minutissima.

Huc pertinent Colladonii sectio septima, *Absus*, et ultima, *Chamaecrista*, quarum antherae mihi prorsus eandem structuram praebent, quae quomodo fugere potuerit cl. Colladonium in *Chamaecristis*, postquam in *Absus* iam recte observaverat, non intelligo. Habitu *Absus* parumper recedunt a veris *Chamaecristis*, sed ad veras *Cassias* vix ac ne vix propius accedunt.

42. PAPILIONACEAE.

94. *Machaerium ferrugineum* Pers. synops. II. pag. 276. — *Nissolia ferruginea* Willd. sp. pl. III. pag. 900. — *N. quinata* Aubl. guian. II. pag. 743. tab. 297.

Var. β. glabrescens mihi.

Foliolis subtus pubescentibus (nec tomentosus.)

95. *Drepanocarpus isadelphus* mihi.

Foliis multiungis, staminibus aequaliter diadelphis.

Caulis, ni fallor, arborescens. Rami cortice cinerascens, ligno albo duro. Folia alterna, spithamaea, impari-pinnata, multi-(16-20-) iuga. Foliola lineari-oblonga, pollicaria, subaequalia, suprema parum minora, apice subretusa, integerrima, glabra. Spinae stipulares geminae, validae, recurvae, semiteretes, post foliorum lapsum persistentes. Paniculae in apice caulis ramorumve congestae, pubescentes, fasciculis ramulorum subternorum alternis; floribus breve pedunculatis

subsecundis, unde ramuli post flores deiectos dentati apparent. Bracteas in panícula observavi nullas, praeter florales geminas ovatas obtusas glabras, dimidium calycem aequantes eique appressas. Calyx subaequalis, glabriusculus, quinque-dentatus. Vexillum extus sericeo-pubescent, reflexum, ovatum, retusum. Alae falcatae, obtusae, basi dente reverso, vexillum spectante, auctae. Carina alis similis. Stamina aequaliter diadelpa, utroque latere quina; filamentorum parte libera lateraliter inflexa, alternis subbrevioribus; antheris subovatis. Germen pedicellatum, falcatum, hirsutum, stylo glabro setiformi recto terminatum, post anthesin e fissura staminum superiore reflexum. Legumen non vidi.

Observatio I. Etiam si fructum non vidi, tamen nullus dubitavi, quin novam stirpem huic insererem generi, quocum convenit: foliis impari-pinnatis, spinis stipularibus, insolita illa, quam descripsi, inflorescentia, bracteis floralibus, eadem denique calycis, petalorum et germinis conditione. Differt tantum a *Drepanocarpo lunato* Meyer essequeb. pag. 238. staminibus in duas phalanges positis. Sed aliam habeo eiusdem generis novam speciem Panamensem, in Reliquiis Haenkeanis in posterum describendam, huic nostri tam similem, ut vix omnium partium tenuitate, staminibusque *monadelphis* distinguatur.

Observatio II. Reliquarum specierum diagnoses iam nunc sic audiant:

* *Drepanocarpus lunatus* G. F. W. Meyer.

Foliis tri-quadrangulis, staminibus monadelphis.

D. lunatus G. F. W. Meyer essequeb. pag. 238.

Pterocarpus lunatus Linn. fil. suppl. pag. 317.

** *Drepanocarpus microphyllus* mihi.

Foliis multiangulis, staminibus monadelphis.

D. microphyllus mihi in Sternberg. reliquiae Haenkeanae mscpt.

96. *Dolichos regularis?* Linn.

Volubilis, hirsutus, foliolis rhomboideo-ovatis, racemis folio longioribus, leguminibus subternatis nutantibus undulatis obtusis hirtis.

D. regularis? Linn. sp. pl. pag. 1022.

Var. α. Foliolis sericeo-villosis acutis.

Var. β. Foliolis hirsutis, lateralibus obtusis, intermedio sub-elliptico acuto.

Tota planta helvolo-hirsuta, pilis mollibus, in caule retrorsis, in petiolo patentibus, in racemo calycibusque erectis, in foliolis appressis. Folia Dolichi Lablab, sed utrinque semper plus minusve hirsuta, et quoad apicis formam valde varia. Racemi axillares stricti, sub anthesi longitudine foliorum, quin etiam parum breviores, floribus subsessilibus, apice densissime spicatis, inferne remotis; post anthesin duplo triplove longiores. Calyx subquinquefidus, lacinia impari parum longiore et angustiore. Petala parva, in siccis rubentia, longitudine subaequalia. Vexillum basi bicallosum; carina erecta. Stamina carina breviora, nisi speciminibus incautius exsiccatis deceptus sum, alterna abortiva, ut in Teramno. Legumina plurima terna, infima subinde quaterna, suprema solitaria, nutantia, in meis speciminibus parum ante maturitatem 15 - 16 lineas longa, duas lata, linearia, compressa, marginibus undulata, parum curvata, basi et apice obtusa, mucronata, pilis rigidis patulis hirta, sed non urentia, sub-octosperma. — In varietate *β.* nullam differentiam praeter indicatas invenio.

Observatio. Eandem stirpem, foliolis paullo accuratius rhomboideis, sed quoad foliolorum hirsutiem inter varietates nostras *α.* et *β.* fere intermediam, in regno Mexicano saepius

legit beatus Haenke. Plantam, tam late in terris disseminatam, hucusque botanicos fugisse, vix vero simile est; inter species melius descriptas eam non inveni; autumavi igitur, esse plantam adhuc minus cognitam, *Dolichum regularem*, cuius diagnosi non repugnat.

97. *Clitoria arborescens* Ait. fil.

Foliis ternatis, foliolis ellipticis subtus tomentosis, racemis petiolo brevioribus, bracteis floralibus lanceolato-subulatis.

Cl. arborescens Ait. hort. kew. edit. altera. IV. pag. 302.

Est mihi ramus crassus, lignosus, strictus, qui plantam arborescentem indicare videtur, cortice purpurascente glabro, apicem versus leviter pubescente. Folia approximata, ternata. Petiolus communis subsemipedalis, teretiusculus, pubescens; partiales duas lineas longi, hirsuti. Foliola exacte elliptica, basi rotundata, apice rotundato-acutiuscula, integerrima, penninervia; subtus reticulata, tomentosa, pubescentia, venis ferrugineo-sericeis; supra glabra; intermedium vix longius, subquinquepollicare, a lateralibus remotum. Stipulae petioli communis subovatae, acutae, basi obliquae, bi-trilineares; partialium hos aequantes, subulatae, sericeae. Racemi axillares, patentes, foliolorum lateralium insertionem aequantes, petiolo crassiores, stricti, basi subpubescentes, apice cum bracteis bracteolisque sericeae. Pedunculi alterni, parum a basi et ab invicem distantes, bilineares, in fructu demum duplo longiores et firmiores. Bractee ternae, laterales et superiores oppositae, omnes lanceolatae, acuminatae, pedunculo duplo fere longiores; florales denique geminae, angustissimae, lanceolatae, subulatae, dimidium calycem superantes. Calyx campanulatus, pollicari fere longitudine, saepius at non semper pedunculi torsione resupinatus, bilabiatus; labio superiore tripartito, la-

ciniis subulatis, intermedia productiore; inferiore semibifido, laciniis acuminatis apice conniventibus. Vexillum bipollicare, obtusum, emarginatum, latitudine fere sesquipollicari. Alae sesquipollicares, ungue longissimo. Carina parum ultra pollicem longa, unguibus longissimis. Stamina diadelpa, filamentis altero libero, reliquis usque ad styli inflexionem connatis, superne pubescentibus; antheris acuminatis. Germen pedicellatum, cum stylo filiformi inflexo sericeo-hirsutum. Stigma subpeltatum. Legumen calyce staminibusque marcescentibus cinctum, iam longe ante maturitatem (maturum non vidi) semipedale, dimidium pollicem latum, compressum, rugulosum, glabriusculum, basi in pedicellum pollicarem rectum, apice in stylum aequilongum incurvum attenuatum.

98. *Cajanus flavus* De Cand. catal. monspel. — *Cytisus Cajan* Linn. sp. pl. pag. 1041.

99. *Indigofera Anil* Linn. mantiss. pag. 272.

Observatio. Foliolorum numerus, in Indigoferis pinnatifoliis admodum varius, ex diagnosibus excludendus est. Sic specimina mea Indigoferae Anil variant foliis tri-sexiugis. Idem observavi in Indigofera tinctoria.

100. *Hedysarum barbatum* Linn. sp. pl. pag. 1055.

42. CASSUVIEAE.

101. *Anacardium occidentale* Linn. sp. pl. pag. 548.

102. *Mangifera Indica* Linn. fil. suppl. pag. 157.

43. TEREBINTHACEAE.

103. *Ionquenetia paniculata* Willd. sp. pl. II. pag. 750. —

Tapirira Guianensis Aubl. guian. I. pag. 470. tab. 188. — *Tapirira Guianensis* Pers. synops. I. pag. 509.

Observatio. Nomen plantae Caribaeum teste Aubletio est Tapiriri; nomen Tapiriae itaque, a cl. Iussiaeo factum, duplici ratione, tum quia barbarum, tum praecipue quia mutilum est, servari nequit.

44. SIMARUBEAE.

104. *Quassia amara* Linn. sp. pl. pag. 553.

45. GUTTIFERAE.

105. *Clusia venosa* Linn. sp. pl. pag. 1495.

46. VOCHISIEAE.

Observatio I. Dubiae affinitatis familia; a Polygaleis certe longe distans, propior sane Guttiferis, licet stamina sint vere perigyna; sed his etiam non proxima. Praeter genera, Vochisieis adscripta a clo. St. Hilaire (in Mém. du mus. d'hist. nat. VI.), haud dubie huc pertinet *Erisma* Rudg. guian. pag. 7. tab. 1., germine infero a reliquis generibus diversum, quo affirmatur perigyna staminum insertio.

Observatio II. Cl. St. Hilaire pro typo familiae habet stamina petalis alterna, quamvis stamina petalis opposita non excluserit; nec excludere poterat, quum in Cucullaria stamen unicum stat ante petalum unicum. Sed tam anceps et incerta floris structura quum alias nunquam reperiatur, et in hac familia vix statuenda est. Possemus pro typo habere stamina petalis dupla, quorum plurima semper abortiva, paucissima su-

perstitia, in aliis alterna petalis, in aliis opposita, nisi in eiusmodi abortione etiam natura unam eandemque sequi sole-
ret regulam. Nil igitur superest, nisi ut torsionem statuamus,
qua stamina, in aliis Vochisieis petalis opposita, fiant iuxta-
posita. Quam opinionem affirmare videtur character Qualeae
datus a clo. illo Auctore: petalum unicum, stamen unicum al-
ternum, i. e. ad latus petali positum.

106. *Cucullaria tetraphylla* G. F. W. Meyer! essequieb.
pag. 12.

Observatio. Variat foliis quaternis et ternatis. Calcar pe-
dunculo parum brevius. An igitur a *Cucullaria excelsa* satis
diversa?

47. HYPERICINEAE.

107. *Vismia Cajennensis* Pers. synops. II. pag. 86.

48. MALPIGHIEAE.

108. *Banisteria lobulata* mihi.

Foliis ellipticis acuminatis coriaceis glabris superne luci-
dis, petiolis eglandulosis brevibus, pedunculis axillaribus tri-
floris subpaniculatis, carpellis pubescentibus tuberculatis intus
lobulo auctis.

Rami erecto-patentes, stricti, cortice laevi. Folia qua-
dripollicaria, elliptica, in acumen longum obtusum protracta,
basi acuta, integerrima, coriacea, glaberrima, venoso-reti-
culata, facie nitida, subtus non glaucescentia. Petioli breves,
eglandulosi. Pedunculi in foliorum superiorum axillis, pe-
tiolo duplo longiores, stricti, triflori; pedicelli pedunculo lon-
giores, subpollicares, apice incrassati puberuli, fructiferi nu-

tantes. Flores non vidi. Carpella magnitudine pisi minoris, pubescentia, reticulato - tuberculata, interdum submuricata, alis sesquipollicaribus oblique obovatis, dorso pubescentibus, alulis accessoriis vix bilinearibus intra maiores, iisque parallelis basi stylis adnatis.

Observatio. Medium tenet inter *Banisteriam Leonam* Cavan. et *B. muricatam* Cavan. Accedit etiam ad *B. multifloram* DeCand. prodrom. I. pag. 589., cuius fructus ignotus; sed foliis subtus non glaucis, floribus axillaribus nec paniculatis, tomenti defectu iam satis differre videtur.

109. *Banisteria ovata* Cav. dissert. IX. pag. 429. tab. 257. fig. 1.

49. MALVACEAE.

110. *Hibiscus trilobus* Cavan. dissert. III. pag. 147. tab. 53. fig. 2.

111. *Sida rhombifolia* Linn.

Foliis oblongo - lanceolatis rhombeisve, basi integerrimis, apice dentatis, subtus candicantibus, pedunculis axillaribus unifloris foliorum longitudine, carpellis 7 - 10 birostratis.

Malvinda unicornis etc. Dillen. eltham. pag. 216. tab. 172. fig. 212.

Sida rhombifolia Linn. sp. pl. pag. 961. Cavan. dissert. I. pag. 23. tab. 3. fig. 12. Humb. Bonpl. et Kunth. nov. gen. V. pag. 261.

Var. β. Foliis angustioribus.

Sida alba Cavan. dissert. I. pag. 22. tab. 3. fig. 8. et dissert. II. pag. 48. (non Linnaei.)

S. canariensis Willd. sp. pl. III. pag. 738.

Formam primariam non ex Surinamo, sed ex horto Upsaliensi, Linnaei tempore lectam, et aliunde habeo. Varietatem

β. vero ex Surinamo. Unicum quod invenio discrimen sunt folia angustiora, basi minus cuneata. Utraque forma variat multum: 1. forma foliorum, ita ut limites nullae inter utramque dentur; 2. inferioris paginae superficie modo glabriuscula, modo fasciculis pilorum brevissimis appressis stellatis induta; 3. pedunculis folio parum brevioribus et parum longioribus, quam differentiam saepe in una eademque planta reperio.

Observatio. Ex dictis satis apparet, Sidam canariensem Willd. a *S. rhombifolia* specie non differre. Multo magis dubito, quin huc pertineat *S. canescens* Cavan. dissert. I. pag. 23. tab. 8. fig. 3., quae est *S. rhombifolia* β. *canescens* DeCand. prodr. I. pag. 462. Tota planta minor, strictior est; folia exactissime rhomboidea, subtus inter fasciculos pilorum stellatos tomentosa, supra pallidiora quam in *rhombifolia* et sub lente pubescentia; habitus peculiaris. Fructus, qui forsan meliora discrimina offert, mihi aequae ac Cavanillesio ignotus.

50. PASSIFLOREAE.

112. *Passiflora foetida* Linn. sp. pl. pag. 1359.

113. *Passiflora Vespertilio* Linn. sp. pl. pag. 1357.

51. PAPAVERACEAE.

114. *Argemone Mexicana* Linn. sp. pl. pag. 727.

52. DILLENIEAE.

115. *Doliocarpus Rolandri* Gmel. syst. pag. 805. — *D. scandens* Poir. encycl. suppl. II. pag. 497. — *D. caule scandente* etc. Roland. in Act. Holm. 1756. pag. 249. tab. 9. fig. 1.

2.3. (edit. german.) — *Tetracera Doliocarpus* Willd. sp. pl. II. pag. 1241.

Rami divaricati, cortice cinereo-fuscescente, ad lentem tuberculoso, apice sursum scabri, tuberculis illis hic piliferis, pilis minutissimis. Folia alterna, petiolata, oblonga, acuminata, basi attenuata, integerrima, superius dentata, dentibus remotis brevissimis mucroniformibus; penninervia, venoso-reticulata, coriacea, supra nitentia, subtus ad lentem glanduloso-punctata, nervo medio et iuniorum foliorum petiolis pilis appressis vestitis. Stipulae nullae. Flores in foliorum axillis fasciculati, rarius in racemum rachi abbreviata dispositi. Pedunculi semiunciales brevioresve, pilis patentibus pubescentes. Bractea in medio pedunculo parva, elliptica, obtusa, concava, dorso puberula. Calyx pentasepalus, marcescens, sepalis rotundis, dorso pubescentibus, aestivatione imbricatis, extimo reliquis duplo minori. Petala tria fugacia, nec nisi ante anthesin a me observata. Stamina plurima, hypogyna, distincta, calycem aequantia; filamentis apice vix dilatatis; antheris parvis, adnatis. Germen subglobosum, hirtum; stylus oblique terminalis, staminibus longior; stigma parvum, oblique turbinato-truncatum. Pericarpium excentricum (carpellum solitarium), subglobosum, coriaceum, pubescenti-hirtum, stylo persistente flexuoso coronatum, non dehiscens, nec ullo suturae vestigio observabili, uniloculare, dispermium (pulpa farctum?). Semina erecta, contigua, hinc planiuscula, dorso convexa, alterum paullo superius, arillo albente tota inclusa. Testa seminis nitida, nigricans, fragilis. Albumen carnosum. Embryonem nullum in tot quot dissecui seminibus inveni; sed cavitas embryonalis in medio albumine, longitudinalis et ipso albumine parum brevior, subcylindracea, leviter curvata.

116. *Delima tomentosa* mihi. — *Tigarea dentata* Aubl. guian. II. pag. 920. tab. 351. — *Tetracera tomentosa* Willd. sp. pl. II.

pag. 1241. De Cand. syst. I. pag. 404. — *Tetracera cuspidata* G. F. W. Meyer! essequib. pag. 205. De Cand. prodr. I. pag. 69.

Descriptioni exactissimae cl. Meyer paucissima tantum addenda sunt. Folia in meis speciminibus haud maiora, petioli haud longiores et serraturae haud magis remotae, ac in icone Aubletiana. In plerisque foliis praeter nervi dorsalis tomentum utraque pagina adhuc villis appressis subsericeis vestita est, qui in petioliis fiunt densiores minusque appressi. Pedunculi ad basin bracteati, bracteis ovatis obtusiusculis hirsutis. Calyx pentamerus tetrasepalus, sepalis exterioribus minoribus subrotundis obtusis, interioribus maioribus ellipticis acutis. Corollam et ego non inveni. Germina in meis speciminibus, staminibus fertilibus, omnia non foecundata, sed unilocularia, et utrinque suturae levissime quodam vestigio notata. Stylus basi subanceps. Stigma orbiculatum, subinfundibuliforme.

Observatio I. Ipse cl. G. F. W. Meyer, qui primus plantae huius, parum cognitae, uberiolem dedit descriptionem, egregie fatetur, se suam stirpem ab Aubletiana, supra laudata, diversam non habiturum esse, nisi huic Aubletius inflorescentiam et flores diversos adscripsisset. Sed florum differentiam nullam inveno, nisi corollae absentiam in nostris, praesentiam in Aubletii speciminibus, quae in hoc genere et affinis ob notam petalorum fugacitatem nullius momenti est. Et inflorescentiae Aubletius prorsus non meminit. Nam quod speciem hanc praecedenti (*Tigareae asperae*), quae floribus paniculatis gaudet, esse simillimam dicit, apud auctorem tam negligentem nil affirmat. — Ab altera parte convenit nostra planta cum Aubletiana: 1. habitu foliorumque forma; 2. foliorum tomento, quod vix in alia planta ex tribu Delimacearum occurrit; 3. calycis, 4. germinis et stigmatis structura. Quibus perpensis, nullus dubitavi, quin hanc nostram plantam pro eadem habeam, ac Aubletianam.

Observatio II. Ob stigma orbiculatum nec acutum, et carpellum solitarium bivalve a *Tetracerae* ad *Delimae* genus trans-
tuli. Huc etiam pertinere videtur *Tigarea aspera* Aubl. (*Tetra-
cera Tigarea* De Cand.), cui tamen cl. De Candolle carpella qua-
tuor vel quinque tribuit.